Conrado Weyss
Amico.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 669 4° copy 2



Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 669 4° copy 2


Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 669 4° copy 2



Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 669 4° copy 2



Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 669 4° copy 2



Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 669 4° copy 2

30^c, — 222

LN 669
ex. 2

BIBLIOTHECA REGIA HAFNIENSIS

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 669 4° copy 2

Dn̄o Conrado Weiſs, Doctrina
et Virtute præſtantiſs:
Viro: patricio
Francofurd:
Amico suo chariſsimo
dd.
Author
23. Nouemb: Anno
1573.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 669 4° copy 2

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 669 4° copy 2

C. ERASMI MICHA-
ELII LAETI,

DE
REPVBLICA NORIBERGENSIVM
LIBRI IIII.

AD
AMPLISSIMVM AC SAPIENTISSIMVM
Inclytæ vrbis Noribergenſis
SENATVM.

Cum gratia & Priuilegio Imperiali.

FRANCOFORTI AD MOENVM,
Anno 1574.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 669 4° copy 2



B.R.H.

BIBLIOTHECA REGIA HAFNIENSIS

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 669 4° copy 2

AMPLISSIMO ET SAPIENTISSIMO INCLYTAE NORIBERGENSIS REIPVBLICAE SENATVI S.

VETVS eſt, Ampliſſime Senatus; rerum virtutumq; maximarum formas, ingenia, naturas, vſus, proprietatesque ac dignitatem publicis quibuſdam literarum monumentis interdum celebrare. Idque eo fine eoque maximè conſilio: vt virtus ipſa; quę ſola penè verum cœleſtis cuiuſdam & diuinę naturæ inter homines eſt indicium; in hominum multorum oculis ſit conſpectior: deq; ea non inani aut temerario affectuum impulſu; ſed cenſura vera, rectaque & honeſta animorum ſententia iudicium conſtituatur. Et quidem explicari oratione vix poteſt, quantum interſit humani generis, quantumq; vniuerſis omninò gentibus expediat, creberrimam profectò huius rei mentionem fieri: officiorumque proponi ſæpiùs atque adornari commendationes: vt in quas veluti in ſpeculum ſeſe humanum genus intuens; conſpecta virtutum pulcritudine; cum admirari haſce ceperit, ad earum protinus ſeſe imitationem omni ſtudio omnique diligentia comparet & componat. Plerunque enim inter mortales euenire: vt quos doctrinæ præceptorumq; formæ nequeunt ad virtutem flectere: hos exemplorum facies religioque moueat: vt quod in alijs iam admirari ceperint; in ſemetipſis cuſtodiendum ſuasq; poſtea in actio-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 669 4° copy 2

nes vitæ inferendum ac frequentandum eſſe putent. Ita quò præcepta minus expeditè duxerint: exemplorum certè ratio videtur haud inefficaci laboris fructu interdum multos perduxiſſe. Scitum eſt quod narrari ſolet de Leonibꝰ; quos cùm magiſtri inſtituunt ad manſuetudinem, equidem mirabili artificio immanem efferamque beſtiarum vim naturamque parendi legibus inuoluunt. Primùm etenim è canibus catellum hiſce quendam ſub cõſpectum ſtatuunt: deinde iuſſa quædam proferunt in medium, inſtruuntque ad operandum. Tandem verò, ſi præceptis catellus iſte pareat; laudant mulcentque, atque aliquo ceu popiſmate obedientem alacremque excitant, & ad vlteriora adhortantur. Quòd ſi indocilem ille ſe aut refractarium fortaſsè præbeat; cædunt virgis, caſtigantq; & plorare cogunt: vt vel ſic tandem quæ ſunt præcepta faciat, ſeque parentem legibus oſtendat. Diſcipuli interea, illa, inquam, præclara Leonum ſoboles in hanc Magiſtri ſolertiam ſæueritatemque reſpiciens: & ſimilia fortaſsè exhorreſcens verbera, aſſueſcit diſciplinæ: eoq; pacto & feritatem mitigat, & tractandam ſeſe præbet: quæque iuſſa ſunt, concinnare aliquo modo, & ad vſum accommodare ſtudet. Natura autem ineſt iuuentuti quædam ceu durities ad obtemperandum: & multis odio ſunt leges; quas ſublatas cuperent; quòd iniectis vinculis coherceant viuendi petulantiam: minimeque quemque ſuo ſinant arbitratu viuere: ſed metas addant actionibus; quas vel præmiorum exhortatione; vel pœnarum metu dirigunt & gubernant. Et quidem dolendum eſt tantam eſſe inordinationem, tantum licentiæ deſiderium in illorum animis; qui alijs interdum, ſplendoribus fortuniſque & potentiæ oſtentatione antecellunt. Quid enim quæſo magnatum ſoboles ad ſe leges pertinere? imò, quo ſe vinculo potentes ipſi ad pietatem virtuteſque aſtringi cogiúe poſſe duxerint? qua iuuat, inquit ille,

Reges

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 669 4° copy 2

Reges eant. Cùm ergo Præceptorum vim languere videas in multorum hominum pectoribus: cumq; nihil penè commoueri admonitionibus præ ſe magnates ferant: equidem conandum eſt Exemplorum formis ac ſapiente quadam eorum vſurpatione; aliquam ſaltem virtutis admirationem excitare in quorundam animis: qui ſi nullo alio moueri ſe permittant ad officia; ſaltem maiorum, propinquorumque aut aliorum denique bonorum hominum exempla intuentes; humanitatem ſibi ac pietatis ſtudium perſuaderi ſinant. Nec enim negari poteſt multis eſſe hanc in vitæ actionibus proteruiam: vt cum præcepta magnis etiam faſtidijs reijciant; ſi quid ad aliquem inclinent ſubinde tamen humanitatis cultum, equidem non iſtuc præceptorum vi authoritateúe: ſed exemplorum atq; imitationis relligione motos perductoſque ſeſe eſſe, gloriandum inter ſuos ſibi nonnunquam eſſe putent.

Hoc conſilio vniuerſa Poëſis ab initio ſcholis introducta eſt. Nam cum in ea non Præcepta tantùm, quæ præclarè honeſteque viuendi normam continent: ſed & Exempla, plurimaque ſanè illa & illuſtria quæ ad vtramq; hanc, & publicam omninò & priuatam vitam pertinere dixeris, expreſſa ſint: iudicauit ſapiens antiquitas, Tragicorum Comicorumque & id genus aliorum poëtarum lectionibus à primis ſtatim annis iuuentutem aſſuefaciendam eſſe: vt ab ipſo vitæ protinus exordio non tantùm præcepta diſcerent: ſed & viuas quaſdam præceptorum formas intuerentur in exemplis: quibus vel ob virtutem gloria; vel ob ſcelerum licentiam, triſtior quidam vitæ exitus, aut inſignis aliqua fortaſſe variatio fortunæ præter opinionem accidiſſet. Perceptam enim ac comprehenſam in prima puerorum ætate harum rerum fortunæque memoriam ita poſtea obuerſari cogitationibus: vt non tantùm lętioris euentus oſtentatione modeſtiores flectat ad officia: verùm etiam

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 669 4° copy 2

triſtiſſimarum calamitatum ſpeculo, & horribili improbitatis
exitu vniuerſam ætatem à maleficio deterreat: pœnaque gra-
uior conſpecta etiam in alijs; documentum ſanè præſtet o-
mnibus, & ſentiendi rectiùs; & moderatius in poſterum quid-
uis conſectandi. Narrari vulgò ſolet, fuiſſe cuidam aliquando
filium ſupra modum menſuramque deditum potationibus.
Huic cum oratione monitisque, mœſtus pater Sobrietatem
perſuadere nequiuiſſet: repertum fortè fortuna quendam ex
compotoribus; qui ſimilem vitæ licentiam publico familiæ
opprobrio ſectabatur, quique recèns conuiuijs ac ganea di-
greſſus, cœno atq; ſuggrundijs, ſpectaculo ob Ebrietatem fœ-
do inurbanoque volutaretur: talem, inquam, hunc cum pa-
ter Coruum aſotumque etiam aſpiceret: eique ſues quoſdam
vrbanos cerneret alludere; & ora circum ferri; vt egeſtam vo-
mitu ſpurcitiem colligerent: adducto filio demonſtrauiſſe di-
citur: ſimulq; interrogaſſe, Ecquid id exemplum obedientiæ,
moderationiſq; & temperantiæ placeret in vicini filio: cui tu,
inquit, aliquot iam annis crapula ac compotandi ſtudijs egre-
giè aſſueuiſti? Hîc attonitum perculſumque primùm quidem
obſtupuiſſe: mox indignam hanc maioribus ac familia agno-
ſcere deteſtarique turpitudinem: & nunc quidem petere ſe, vt
erratis vitæque licentiæ ignoſcat pater: daturum operam, vt
maiore in poſterum cura mandatis pareat; morumque recti-
tudine fruſtratam toties ſuorum expectationem ſarciat & com
penſet. Delectatum reſponſo patrem optauiſſe ſalutem filio:
iſtumque etiam immundum iuſſiſſe ob familiæ reuerentiam
moueri loco; eamq; ceu publicam infamiam priuata cura tegi.
Hanc narrationem recito: vt conſtet plurimam exemplis cum
tempeſtiuè prudenterque accommodantur actionibus; ineſſe
& virtutem profectò & efficaciam ad permouēdos eorum ani-
mos, qui ſe orationibus ac præceptis haud ita magnoperè ſi-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 669 4° copy 2

nunt ad officij dignitatem permoueri. In multorum enim id plerunq; ingenijs accidere: vt quantò magis verborum acerbitate pugnes affligasque; tantò minus etiam promoueas: equorum inſtar ferocientium; quos ſi impenſius vel loco vrgeas; vel freno ſubigas; vel alia denique vi manúue concites & premas: tantum abeſt certè; vt arbitrio, quo velis, moueris: vt vel in rabiem citiùs, vel in præcipitium agere illos atq; impellere poſſe videare. At verò ſi quid fortaſsè blandiùs tractare libeat: alterumque & item alterum, quo curſus ſit, præmittere: iam non labore tantùm minimo hunc refractarium adduxeris: ſed & ſponte obſequentem videas, & quo velis deinde loco ſiſtere; vltroque imperata facientem vel leui tantùm virgæ vmbra incitare ac gubernare planè poſſis. Nec id eò pertinet: vt liberalia vitę inſtituta & neceſſariam honeſtę diſciplinæ rationem calumniari quiſquam audeat: ſed præceptorum vim in vſus duci; viuamq; reddi poſtulo: Vt quanta præceptis ineſt pietas atque occaſio ad contemplandum: tantam Exemplis ineſſe putes efficaciam induſtriamque & dexteritatem ad perſuadendam morum vitæque totius curam atque emendationem. Non procliue eſt fortaſſe dicere: plúſne virium præceptis ad mouendos auditorum animos: an verò Exemplis, reuerentiæ ac facilitatis inſit ad mutandas trahendasq; voluntates: niſi quòd id omnibus ſemper ſapientibus ſit viſum: valdè equidem culpandos eſſe illos, qui præceptis nihil ſeſe permoueri ad virtutes ſinant: cum maximam interea ſint iſti laudem conſecuti: quibus cum minimè perſpecta eſſet præceptorum ratio; ſola tamen bonorum imitatione officia complexi ſint: viuiſque ducibus peruenerint ad eam, quæ ex virtutum actionibus plerunque naſcitur & gloriæ & dignitatis exiſtimationem. Cum Socrates philoſophia ſe inſtructum eſſe retulit, ad Continentiam: equidem ſtudijs doctrinarum & præceptis,

egre-

egregiam omninò commendationem ſtatuit: vt qui, quid in animis diſciplinam admittentibus, placidiſque & moderatis hominum ingenijs expediri ſanè ac perfici philoſophia poſsit; haud obſcurè oſtenderit ac ſignificarit. At verò quid naturas efferasq; & immanſuetiores iſtas redigat ad quendam humanitatis ac virtutis modũ; eo certè reſponſo non ita plenè etiam ac manifeſtè attigit. Etſi enim honeſtis præceptis deferenda per ſe eſſet Fides, etiamſi rerum aliarum non accederent adminicula, quibus permota mens acquieſcendum ſibi præceptis & concedendum eſſe duceret: cum authoritas præcipientis, & ſalus ipſa; quam diſciplinæ & mandatorum finem eſſe ſtatuas: meritò ſic animos affecerit: vt ab ijs quæ ſapiẽter ſunt & vtiliter oſtenſa ſingulis; nequaquam quiſquam aut peruicaciter recedere; aut per iniuriam ſponte declinare velit: Tamen neſcio quo pacto id profectò etiam eueniat; vt minus præcepta valeant aduerſus improbos: ni tanquam ex alio rerum ordine probationem ſibi quandam adferant philoſophi: monſtrentque exemplorum formis id, quod præceptis poſtulant; vel laudem certè obtemperantibus: vel contemptoribus iſtis horribiles interdum pœnas, & formidandas vitæ exitu calamitates attuliſſe. Ita non præceptis tantùm, quod maximè conduxerit in vita haurias: Sed exempla conſideranda ſunt: & quibus in rebus quoque actionum gradu illa eminere perſpicis; in huiuſmodi quidem vel tuis certè, vel aliorum neceſſitatibus, habenda vſurpandaque atque accommodanda eſſe putes. In eam rem plurima habere cognita, eſt vtiliſſimum. Ita enim quoſcunque tibi obiecerit fortuna impetus, exceperis ad victoriam: cum ita tete compares, vt qua illam aliquando ratione vicerunt alij: & tu vincendam profligandamq; tibi eſſe exiſtimaris.

Scio plurimam ſubinde his difficultatem obijci, qui præ-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 669 4° copy 2

ſunt in imperijs: cum tamen crebra variaque præcepta hac de re deque gubernandi diligentia & arte; ſplendidè venuſteque picta ac coaceruata extent in ſcriptoribus; qui hanc ſibi rem vel græcis, vel latinis literis tractandam explicandamque deſumere ac vendicare. Horum hominum qui iſtis præceptorum traditionibus egregiè ſuccincteque & accuratè philoſophati ſunt, vt laudandam profectò induſtriam eſſe cenſeo: Ita ſi Reges, principesque pariter omnes alij in vnius Dauidis coniuncta cum virtutibus exempla factaq; humanitatis eius diligenter etiam aſpicerent, equidem ex eo ſolo plus omninò caperẽt induſtriæ virtutisque ad beatè imperandum: quàm ex reliquis multorum ſcriptis, & quidem multis interea paraſangis Idearum redundantibus, conſequuturi eſſent ad felicitatem. Paulus Romanis oſtenſurus, Iuſtitiam non ex operibus; ſed ex fide quæ in Chriſtum Mediatorem eſt, contingere: etſi vijs, teſtimonijsq; ac rationibus ſcripturæ plurimis ad eam ſibi rem perficiendam vtitur: tandem tamen & Abrahæ exemplum in medium adducit: in quod non gentes tantùm, ſed & Iudæos ſuos intueri iubet, ita; vt omnem contradictionis ſuæ vim ad hunc baſanum exigant, tanquamq; illato lumine in illud ſeſe iuſtitię ac pietatis ſpeculum remotis pręſtigijs ac Ceremoniarum perſuaſionibus, placidè, ſobrieque & accuratè conſiderent ac contemplentur. Cum enim tantum eſſet Abrahæ nomen; tantaq; inter omnes populos exiſtimatio: quàm & illum haberent Iudæi patrem; & in ipſius ſemine ſe benedictionem conſequuturas audirent gentes omnes: Scirent autem familiariter vſum eſſe Deo; pignusque gratiæ cœleſtis accepiſſe illum Circumciſionem: equidem ſalutis adipiſcendæ rationem Paulus inter mortales conſtare poſſe iudicauit; ſi quo pacto iuſtus Deoque acceptus ſit pronunciatus Abraham, concinna quadam minimeq; perplexa inter mortales ratione omninò cognoſceretur.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 669 4° copy 2

In medium igitur ſe exemplum hoc adducere explicareque vt pulcerrimum dijudicandæ conſtituendæque ſalutis ac iuſtitiæ argumentum: eoq; ita ſe confidere; vt quamuis primas deferat ſcripturæ teſtimonijs: ex hoc tamen minimè reformidauerit præcipuam omninò ceu demonſtrationem ducere; quam vel zelo Iudæorum, vel gentium diſputationibus obijceret: eóque lumine oſtenderet cæterorum tenebras: qui ſe vel patrijs omninò ritibus, vel alijs neſcio quibus operum perſuaſionibus Iuſtitiam conſequuturos eſſe arbitrarentur. Ita in re omnium maxima, quantum momenti collocatum erat ad victoriam in euidente tempeſtiuáque Exemplorum accommodatione, ea quidem ratione oſtenſum perfectúmq; eſſe vides.

At verò ſi à magnis diſputationibus ad priuatam cuiuſq; vitam transferas orationem: exploratũ certè eſt plurimum emolumenti inde ſingulis; vt tranquillam moderatámque & ſanctam vitam tranſigant, exiſtere: ſi ſe ad eximij manſuetíque & prudentis alicuius imitationem comparent: quódque in præſtante ac præclaro aliquo ob virtutem commendatum eſſe audiunt; in eo vera ſolidáque ratione elaborandum ac connitendum ſibi eſſe putent. Huius generis exẽpla aliquot, quæ vtrunque ordinem ſtatúmque hominum retulerint; prolixiore fortaſſis, ſed tamen grata commemoratione adducerem in medium: vt quibus incitari plurimũ ac permoueri Iuuentus ad Virtutem poſſet: niſi vobis & eſſe nota plurima; & ab eruditioribus in omni doctrinæ atque artium perueſtigatione illa ipſa & colligi putarem, & vſibus accommodari ſcirem. Sæpè autem iniurij noſtris ſumus; dum ſic miramur aliena, vt ſordeant domeſtica: cúmque exemplis vtendum ſit; equidem externis potiùs quàm noſtris vel deferimus aſſenſum vel vindicamus authoritatem. Id cur ſit, diſputare nolo inpræſentiarum.

Interea [redacted] referre hoc in loco multa poſſem, idq; ex ijs etiam

præci-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 669 4° copy 2

præcipua: qui cùm vitæ curſum iam pridem abſoluiſſent; equi-
dem gratam nominis memoriam clariſsimis Ingenij monu-
mentis tranſmiſerunt ad poſteritatem. Cui enim Lutheri for-
titudo Spiritúsque in negocio Euangelico: cui verecundia in
moribus domeſticis? Cui Philippi Melanthonis ſolertia, do-
ctrina ac virtus incomparabilis? Cui Simonis Grynæi mundi-
cies, excellénsque Eruditio? Ita enim à Magnifico ac Nobiliſſi-
mo S. Regij Palatij in regno Daniæ Magiſtro, Petro Oxe (quem
ego virum honoris cauſa nomino) interdum commendari ſo-
let: quòd is Grynæo, vt nos Melanthone, familiariter ſit & ami-
co certè & præceptore Baſileę vſus. Cui Forſteri Moderatio; Io-
hannis Bugēhagij feruor in labore ac miniſterio doctrinę Eu-
angelicę? Cui Crucigeri Ionæque ſolertia? aut cui deniq;; non
enim cum externos refero; prætereundi ſunt domeſtici: Cui,
inquā, vel Palladij noſtri cura multiplex pro aſſerenda de Chri-
ſto veritate? Synningij labor, humanitásque & infucata boni-
tas? Paulini, qui recèns obijt Roskildię; placiditas dexteritásq;
vel in vitæ conuerſatione; vel in Miniſterij vſu; quod magna a-
nimi tranquillitate, ſine turbis, inſectationibus aut confuſione
inciuili atque inhumana aliorum, exercuit, adhibuit, perfecit:
Horum, inquam: ex multis enim quos noui præſtantiſſimos, in
hoc quidem ordine non niſi paucos refero: Virtus, doctrináq;
& diligentiæ fructus cui quæſo ignotus, cui incompertus eſt?
Sanè ampliſſima multóque inſtructiſſima ſunt hæc ad omnem
admonitionem argumenta: quibus non illi tantùm qui hoc in
vitæ genere vocationis ſuæ curſum expleant; doceri permoue-
ríque ſeſe ſinant ad imitationem: ne quid obrepere, allubeſce-
réque ſibi fortaſſe velint: quod vel cum vitæ innocentia, vel ve-
ra Chriſtianáque charitate, vel ipſo denique cum officij vſu di-
gnitatéque vocationis publicæ vllo omninò modo diſſidere
videatur: ſed omnibus certè hominum ordinibus perſuaſe-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 669 4° copy 2

rint: vt quocunque Statu vitam tranſigant; equidem id quod laudem aſſecutum eſt in alijs; tum approbandum complectendumque: tum vitę actionibus colendum ac conſectandum ſibi eſſe putent. Nec eo tantùm gradu conſiſtendum menti eſt. Intueatur etiam in Nobiles, Agricolas, Ciues: eque horum numero & eos deligat, quos ob virtutem ac humanitatis cultum vel admirari ipſa velit: vel commendandos alijs exiſtimet; vt optima pulcerrimáque actionis vitæ exemplaria: quibus præceptorum ratio vel natura expreſſa, vel vſu doctrináq; aut exercitationis diligentia atque aſſiduitate egregiè comparata eſt. Non enim in hiſce hominum ordinibus exēpla deſunt ad virtutis commēdationem: cum nec Cyclopes putare omnes Nobiles; nec inurbanos omnes ruſticos; nec omnes ciues aut prorſus inhumanos, aut parùm iuſtos benignóſue tete arbitrari deceat: cum contra potiùs & multam ijs quos verè dicas Nobiles, ineſſe virtutum ac humanitatis lucem: & hiſce vitæ elegantiam interdum aliquā attribui omninò poſſe, ſtatuas: cum Agricolarum gradus eò fortuna vectus aliquando ſit: vt & Romanis Dictatores; & Polonis Reges, & magnos alibi ſeu Duces gentibus, ſeu Nationum principes illuſtri generis ſucceſſione dederit, extulerit, approbarit. Nec ſuffundi hîc pudore quemquam etiam neceſſe eſt: cum conſtet Sapientibus in eo decus eſſe collocatum maximum: ſi primus Nomen inferas familiæ: quæ ſi obſcura ſuo quidem gradu conſtitiſſet hactenus; per te adepta claritudinem & ſummis forſitan annumeretur poſtea: & te honoris parti fontem virúmque generis familiæque principem agnoſcat, fateatur & celebret. In Ciuibus id ita Deo prouidente actum eſt; vt & ex eo interdum ordine conditioneq; hominum ad ſummas dignitates euecti quidam ſint: qui cum inferiore aliquando conſediſſent loco; equidem honores vitæ huius & ampliſſimos, & hactenus omninò etiam durabiles ob

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 669 4° copy 2

claram gratámque omnibus hominibus, virtutum ac bonitatis opinionem, magno poſteritatis plauſu conſequuti ſunt. Ad Nobiles quod attinet, iam pridem notũ eſt in omni penè gente multos ſe maiorum titulis efferre venditareque: qui tametſi à maiorum moribus veſtigijsq́; longiùs exorbitant; Nobilitatis tamen ſe hæredes gerunt: in eo collocatum Nobilitatis ius poſſeſſionemq́; exiſtimantes; ſi Imaginum ſplendoribus, titulorum vſurpatione & inani venditatione libertatis immanem quandam extollendi ſe cupiditatem ſpirent: aliorumq́ue cum iniuria eam tueantur dignitatis perſuaſionem, quam partam à Maioribus, nõ iam virtutis vſu ac humanitatis bono; ſed thraſonica acerbitatis omniumq́; vitiorum oſtentatione aut retinendam certè aut defendendam ſibi eſſe putent. Hanc in multis ataxian ac ſpiritus immanis labem veri ſolidiq́; Nobiles deplorant; & in ſuis moderationem ſuadent. Interea negari nequit inter tribulos ſentesq́ue hos aſperrimos egregia interdum multa virtutis, pietatisq́ue ac humanitatis ſemina ſuccreſcere; præſtantesq́; ſubinde quoſdam florere Nobiles: quibus non vitæ tantùm priuatæ ratio; ſed & publici boni ſtudium omnem animis & curam ſubijcit, & ſolicitudinem accendit; vt & patroni velint eſſe literarum: & actionum honeſtarum dignitatem omnibus priuati lucri neruis anteponendam eſſe putent. Etſi fortaſſe rarum id in tanta vel licentia vel impunitatis ſpe cenſeri poterit: verum nihilominus id eſſe teſtari eos putes poſſe maximè: quibus varij populorum mores ſtatusq́ue atq́; officiorum ratio ita explorata eſt; vt quid in his præcipui veriq́ue ac prædicandi ſit, ſine iudicij cenſuræq́ue malignitate affirmare omninò poſſunt. Nec nunc externa perſequor. Minus enim quòd comperta ſint, agitari temerè non decet: nota quidem ſuis; & ex eo bonitatis laudem conſequuta: quòd quæ præclara magnificaq́ue ſint: quæq́; honorem nobilitati cumu-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 669 4° copy 2

lent, officiorum liberalitatiſque ac virtutum vſu; omnia ſibi & conſectanda & ſtudioſè retinēda eſſe putent. In noſtris tanta erat Magni Goije, Regij Palatij in regno Daniæ, Magiſtri: Erici Banneri de Aſdal, Marſchalci: Olai Roſenkrantzij de VVallöff, Conſiliarij Regij ac Senatoris regni; quorundamque aliorum, tanta, inquam, erat ob virtutem fama atque exiſtimatio: vt illis quidem viris nihil maius nihilque melius vixiſſe multi nunc teſtari ſoleant; ad aſſerendam eam quæ vel publicè prodeſſet omnibus; vel ſingulis ordinibus cum dignitate retineri poſſet, vtilitatem. Hoc ſtudio, quo qui authoritate ſuperant; ex æquo omnibus conſulere prouidereq; cupiunt; nec certè quicquam datur excellentius mortalib⁹: nec maius adfert ad memoriam ac gratam nominis famæq; claritudinem, emolumentum. Priuatis ita rebus formam ponere, ne quid vacillet penitùs: priuati certè lucri priuatæq; exiſtimationis eſt. At publici patronum boni; publiceque te vtilitatis aſſertorem dici haberique; vt cœlitùs donatum iſtud quidem ſtatuas: ita veros vitæ actionum fructus honeſto quodam gratóque populi conſenſu aut pepeniſſe omninò tibi aut confirmaſſe putes. Sed iſta hoc in loco relinquenda ſunt.

Ab hiſce enim gradibus ſubſellijsque ſubditorum ad Maieſtatis ſedem Imperiorumque faſtigia reſpiciendum eſt. Nam & iſtic quoſdam à Deo collocatos vitæ ſuæ curſum ita tranſmiſiſſe comperies: vt in illis & fortunā cum virtutibus; & has item cum fortuna, mirabili humanitatis ſolertiæque nexu conſpirauiſſe omninò fatearis. Etſi autem multa inſunt varijs, quæ commendari poterant: non tamen omnia ſub conſpectum proferam: ſed paucorum tantùm faciam Heroum mentionem: & ea potiſſimùm narrando perſequar: quæ liberalitatem erga ſtudia bonarum artium: pietatem erga Deum; Humanitatis ac beneuolentiæ teſtimonia in ſingulis referre explicareq; poſſe videantur.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 669 4° copy 2

antur. Harum enim virtutum hoc quidem pręſertim tempore, & neceſſaria eſt, & cumprimis admiranda commendatio.

Itaq; primùm intuere q̃ſo in vniuerſam Caroli Magni, optimi viri & inter varias ęrumnas Imperatoris feliciſſimi hiſtoriã: equidē præter ea quę ad publicam regnorum orbis Chriſtiani gubernationem & tranquillitatē pertinere dixeris; eximiã profectò priuatę vitę rationem deprehendes: in quam non ſummi tantùm Monarchæ, ſed & omnes homines reſpiciendum ſibi ac meritò conſiderandum eſſe putent. Eius enim ad omnes homines beneuolentia; pietas ac publica religionis obſeruatio ad Deum: Liberalitas in Scholas & egenos bonarum artium ſtudioſos: facilitas in conuerſatione: moderatio in victu: cura in educandis ad pietatem liberis: immenſum quoddam dilatandi confirmandíque Chriſtianiſmi ſtudium & cupiditas: Templorum condendorum & augendi reditus ſolertia: Bonitas & Clementia erga peregrinos: ſolicitudo ad iuuandū prouidendumq; afflictis Chriſtianis, qui vltra maria, in Aſia atq; Aphrica miſerijs ſuis & inopia conflictabantur: Deniq; ſtudium pacis cum omnibus Regibus; & cum ſuis honeſta dignáque Imperatore conuerſatio; à nullo hominū nec æſtimari ſatis, nec ſatis commendari poteſt. Eius rei ſumma luculentáque teſtimonia; in Vrſbergenſe ſtudioſi legant. Multa quidem & magnifica erant ſuperiorum Cæſarum facinora: vt Iulij, Auguſti, Traiani, Hadriani, Antoninorum, Conſtantini, Theodoſij, Iuſtiniani: ſed huc plerunque ſucceſſu ac victorijs ſpectare; vt vel huiuſmodi incrementis eſſet felicior Reſpublica: vel ipſi nomen ſibi ac dignitatem in humano genere pręcipuam, bellorum euentuumque proſperitate comparaſſe viderentur. Qui verò belli, certaminum ac trophæorum finem poneret, Eccleſiarum conſtitutionem; & Miniſterij Euangelici vſum cum egregia orbis Chriſtiani pace, atq; incolumitate populorū, qui doctrinam Euan-

gelij

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 669 4° copy 2

gelij de Chriſto, acciperent ac complecterentur: & rariſſimus profectò ſemper quiſq; fuit: & ſi qui fortaſsè aliquando eſſent; equidem alijs implicati, haud paucis certè gradibus infra Caroli fortunam conſtiterunt: in eo etiam hallucinati interdum maximè; quòd pietatem ſibi non ex vera pietate finxerint: quódque vtiliter in multis egiſſe videri poterant; deprehenſa tandem veritate, quæ multos latuit, compertum eſt veræ religionis maximo diſpendio, & ab ipſis actum, & à poſteritate approbatum eſſe. At Carolum Magnum, quod ad publicam orbis Chriſtiani commoditatem, dilatandæque de Chriſto Doctrinæ ardorem ac contentionem pertinet; omne tuliſſe punctum, omneſque numeros adimpleuiſſe cenſeo. Si quid cæcutit ille interdum etiam ac labitur: ceu id negari nequeat: equidem iſtius ſecli moribus in iſtam ſuperſtitionis laruam attractum eſſe dixeris: à qua Mediatoris Chriſti Gratia aſſertum liberatúmque eſſe puto. Laudo factum, quo Doctrinæ Euangelicæ profeſſionem Auguſtiorem reddidit: dum delecta ex hiſtorijs ac ſcriptoribus Euangelicis membra certa certis diebus Dominicis accommodabat: vt conformitas in Doctrinæ vſu ac profeſſione Euangelij per orbem Chriſtianum aduerſus Gentium ac Hæreticorum ſannas calumniáſque conſpiceretur. De reliquijs, vt vocant, quas vel ex Græcia vel aliunde tranſtulit ac comportauit; alio in loco à nobis copioſè diſputatum eſt. Poſt Carolum Magnũ succeſſit Ludouicus: qui etſi pietatis cognomentum adeptus eſt: ſtatim tamen ſuas calamitates Reſpublica Chriſtiana ſentijt, auctis ſuperſtitionibus; & paulò poſt orta inter alios contentione de Regnorum ac dominationis vſurpatione: quo nomine orbi Chriſtiano labes multa multúmq; detrimenti inuectum eſt. de qua re frequentem Hiſtoriæ mentionem faciunt. Etſi autem hanc diu humanitatis ac beneuolentiæ laudem, multi Galliarum Reges tanquam domeſtica

*** poſſeſ-

poſſeſſione retinuerint: & nota recens ſit Franciſci I. ſumma liberalitas & cura ad promouenda literarum & artium humanitatis ſtudia: Nihilominus tamen & alios quoſdam in reliquis etiam gentib⁹ interdum Deus excitauit: qui legum, pietatis ac diſciplinæ aſſertores eſſent: quique ſalutem patriæ ac ſubditorum intelligerent: & eò demùm conſilia ſua conferrent deſtinarentq; omnia: vt & præclara eſſent præmia virtutibus: & rerum optimarum vſus tam eſſet cum iucunditate ſolidus: quam vera cum vtilitate exiſteret & maximus & planè diuturnus. Eius generis Reges erant præſtãtes illi in Anglia Henrici: Quintus, Sextus, Septimus & Octauus. Edouardi, Tertius, Quartus, & Sextus, qui recens ſublatus vniuerſo orbi iacturam & dolorem maximum reliquit: quem tamen cum Sororis, Elizabethæ minuat & virtus & felicitas: equidem non tàm ille ad Superos hinc euaſiſſe: quàm heroico quodam & diuino fato hæc ſalutem regno patrio attuliſſe omninò videatur. Certè cum Imperium illa ex dignitate adminiſtret; equidem dubium non eſt & cœlitùs excitatam eſſe: & Deo propitio omninò gubernare. Iis autem qui Deum verè colunt; tutorem ſe & patrem Deus ab initio ſemper declarauit. Conſtat & Alphonſo Arragonum & Siciliæ regi honeſtam fuiſſe voluntatem ad promouendas literas: quod non vſu tantùm, atque exercitatione doctrinarum; ſed impenſis maximis & inſigni erga ſtudioſos bonarumq; literarum profeſſores tum beneuolentia tum liberalitate oſtendit ac comprobauit. Mortuus eſt ante annos aliquot Poloniæ Rex Sigiſmundus. Huic, cum vir & bonus, & princeps ſummus eſſet: equidem ad fortitudinem, benignitatemque animi & liberalitatem nihil planè defuit; quod quis in tali Rege magnoperè deſiderare poſſe videretur. Res magnas & præclaras obijt pro patria; motiſq; bellis victor ſemper pacem retulit: in hoc etiam omninò fortunatus; quòd nec fruſtrà ab hoſtibus vn-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 669 4° copy 2

quam prouocatus ſit; & Victorias inſigni pietatis ac liberalitatis declaratione amplificauerit ac decorarit. Nec prætereunda hoc in loco eſt, Goſtaui Regis Sueonum ampliſſima voluntas ad promouēda liberalium artium ſtudia; & patrij regni aduerſus quoſcunque hoſtes aſſerendam & conſeruandam dignitatem: cui rei cum verè deſtinatus eſſet: equidem tanta animi fortitudine vtrumque & prudentia ſuſtinuit: vt meritò profectò dubitare poſſis; maiórne dando ille fuerit; an liberalior imperando: adeò temperatura quadam inter ſe, & gubernandi ratio, & ſtudiorum promouendorum amor; in illo Rege conſenſiſſe exiſtimantur. Multi eius viri munificentiam experti ſunt; & regnum ipſum pacis artibus excelluit: cumque bellorum difficultates noſſet; haud temerè quietem perturbandam cenſuit: in hoc maximè etiam intentus, vt & bonos quoſque ac cumprimis eruditos ornaret præmijs; & ſcelerum authoribus, nec licentiam tribueret; nec ſecuritatem impertiretur: de quibus quidem Regis maximi virtutibus à nobis alio in loco dictum eſt.

Vt enim ad noſtra veniamus; externa hæc fortaſsè relinquenda ſunt; de quibus, quod præſentem quidem ad locum attinet; memoriæ tantùm cauſa, & veluti floribus quibuſdam interſperſis iſta erant breuiter commemoranda. Itaque ne quid Haraldos, Suenones, Valdemaros, Canutos; quorum omnium honeſta eſt & grata nominis in multis gentibus memoria: ne quid vetuſtiores, inquam, iſtos Daniȩ Reges referam: equidem poſteriorum, vt Chriſtiernorum, Iohannis, Fridricorumq; fama eſt conſpectior ob Virtutis, fidei ac veræ pietatis laudem: de quibus etſi parciùs mihi nunc dicendum ſit: Chriſtiani Tertij nomen tamen & Virtutū, quibus non domeſticis tantùm ſuis; ſed & multis Europæ gentib⁹ innotuit; commemorationē breuiter complectar: vt & hoc in loco tanti principis memoria

ceu publicum virtutis, pietatiſq; ac humanitatis eius teſtimonium, cum grata poſteritatis recordatione atque imitandi deſiderio conſpiciatur. Huic enim Regi nihil ad officia, nihil ad virtutis cultum; denique nihil ad omnem animi beneuolentiam ac pietatis curam deerat. Et cum pacem quacunq; ratione conſtitutam omnib' ex bello victorijs antepoſuiſſet; equidem ita pacis artes coluit: vt & charus omnibus externis, & ſuis ſubditis cumprimis admirandus complectendusq; eſſe videretur. Erat in eo ſumma ad gerendum imperium induſtria: cõciliandiſque beneuolentia ac morum ſuauitate hominibus à natura ipſa factus putabatur. Supra enim formæ venuſtatem, qua, vt ſciunt multi; recèns enim eſt mortuus; mirum in modum excellebat; inerat ei hæc, de qua nunc loquor, tacita naturæ vis ad contrahendas ex virtute familiaritates: adeò vt cum illum & ſui ſuſpicere; & externi amare ac reuereri ſint viſi; equidẽ Clientela, affinitatibus ac fœderum relligione præcipuam inter Chriſtianos principes Nobilitatem, egregia certè meritorum ac fidei conſtantia deuinctam retinuerit; ſemperque & ſibi, & ſuis retinendam eſſe exiſtimarit. Exemplo autem intra parietes domeſticos tali meherclè pręlucebat: vt ſummo rectiſſimoque ac planè Chriſtiano morum vſu omnibus hominum ſtatibus, omnibuſque ordinibus eum commendari poſſe putem. Si nihil fortaſsè officiebat valetudini; equidem primis diei horis, ipſo ſtatim mane, de lecto ſolitus eſt ſurgere: expeditaque, quę circa veſtimentorum ac corporis ornandi curam erat, conſuetudine; cum habitu ille ſimplici tantùm, & nihil propemodùm luxuriante vteretur: ad preces ſeſe contulit: in quibus ardenter, magniſque & veris gemitibus coram Deo verſatus eſt. Ab illis digreſſus imperabat neceſſaria familiæ; protinuſque acceſſit ad legendum: & ſi nihil negociorum aliorum magnitudine impediebatur, magnam plerunque abſumpſit tem-

poris antemeridiani partem ſacris Biblijs ordine atque aſſiduè perlegendis. Ita occupatum interturbare audebat nemo. Finita lectione quam voce clara expeditaq; ſemper abſoluebat, fas erat ſingulis accedere: quæque cuiuſque officij erant, diligenter exequi. Ipſe progreſſus extra curiam, paululùm ante prandium vacabat ambulationi; cauſasque miſerorum cognoſcebat: cumq; ſupplices libellos diligenter etiam colligeret; equidem & benignè reſpondendo; & poſtea iuſtè prouidendo, multorum expectationibus maturè ſatisfaciebat. Salus igitur hæc cuiq; prima viſa eſt, ſi ipſum adijſſet principem: quòd illo nullus eſſet ad iuuandum miſeros propenſior; & eorum querelas memoria arctiſſima cuſtodiret: vt qui vehemente admodùm deſiderio expeteret afflictis, & quamcunq; neceſſitatem tolerantibus tempeſtiuè profectò ac magno conſolationis bono opitulari. Poſt prandium eadem penè ſunt repetita ſtudia: niſi quòd tum quidem temporis interpretẽ aliquem ſcripturarum euoluere ſit ſolitus. A quibus exercitijs ad interiores nonnunquam recreationes diuertebat: quo præter familiarẽ vnum aut certè alterũ, neminem quidẽ induci ſecum paſſus eſt. Vel enim ipſe aliquid interdum operis mechanici tractare geſtijt: vel dirigendis æquandisq; Bombardis; quas ille affabrè politeq; concinnatas paratasq; è veſtris artificibus habebat plurimas, delectabatur: Vel alijs aſtabat ipſe ſpectator operantibus: & ijs quidẽ ante omnes maximè; qui vel Chimia diſtillationibusq; impura puris tollerent: vel auro fabricando præcipuã induſtriam oſtendere omninò potuerũt. Iohanni verò Sibenio aurifabro, qui Automatis parandis ſummus erat artifex, & frequens aderat: & actionum formas ſuo conſilio ac diligẽtia interdum auxit, interdum emendauit. Teſtatur hanc induſtriam venuſtum illud & cumprimis admirandum Horologium: quod ipſe fieri concinnarique & ornari iuſſit impenſis planè maximis: cui ne

hoc quidem æquandum eſſe ſtatuas, quod à Perſarum rege Carolo Magno Imperatori donatum miſſumq; eſſe referunt. Voluptas autem huic Regi erat penè maxima, in Bibliothecam, quam habebat inſtructiſſimam, frequenter ventitare: ibiq; aſſidere, ambulareq; & aliquandiu commorari. E librorum numero, efferre ſecum ipſe interdum aliquem eſt ſolitus: interdum chartas tabulasque Geographicas manu ſua pertulit in Cameram. Hiſce enim exercebatur; & quidem æſtiuis temporibus à cœna maximè: quòd huiuſmodi locorum limitumque deſcriptionibus mirificè oblectaretur; Stomachatus interdum etiam; quòd adoleſcens minus ſpacij, terrarumq; ac nationum cognoſcendo perluſtrauiſſet. Hæc ſtudia admirabatur non tantùm naturæ ingenijque præclara indole: ſed cum doctrinas ex animo haberet charas: easque non magni tantùm; ſed & maximi omninò faceret: equidem eruditos omnes non tantùm honeſta voluntate complexus eſt: verùmetiam ipſe ſibi in aula præſtantes voluit atque egregiè doctos adeſſe plurimos: quorum vel conſilio, vel colloquijs eruditis ac modeſta ſuauique conſuetudine delectatus; optimam ſanè vitæ partem huiuſmodi quidem voluptatibus tranſmittendam ſibi eſſe exiſtimauit. Etſi autem haud tenui eos numero cenſeri poſſe ſtatuas, qui conſilijs ac doctrina clari, ceu ad manus ſemper adfuere Chriſtiano: tamen poſt admirandum illum atque incomparabilem Heroa, Virtutisq; omnis antiſtitem & patronum Iohannem Fryſium, Cancellarium & Paraſtaten: poſt Petrum Oxe de Gyſlefelt; & Corficium VVlfeldium; viros Conſiliarios & Sapientes: præcipuos habebat ſecum, Paulum Nouiomagum, & Henricum à Bruchoffen Buſchoducenſem, Concionatores & Theologos: Bernhardum VVichboldum Groningenſem; Iureconſultum: & Antonium ab Haniſck Miſnenſem, virum & virtutibus omninò cæteris præſtantē, & animi conſtan-

tia ita gratum, vt cum cognitione literarum antecelleret, equidem ob exploratam hanc fidei morumque rectitudinem, Sigilli quod Secretum vocant, cuſtodiam illi committendam eſſe, Rex ipſe arbitratus eſt. Horum igitur quòd viri boni, & præclarè eruditi omnes eſſent; conſuetudinem ac familiaritates, aulicis multorum ineptijs antepoſuit: eoſque ſibi velut coniunctiſſimos à latere non diſcedere, nuſquam penè abeſſe paſſus eſt. Eorum verò ſtudijs cum is ad cognoſcendam Doctrinarum liberalium præſtantiam incitaretur: mirum profectò eſt, quanto ardore, quantaque animi promptitudine bonas interea literas complexus ſit: idque huiuſmodi omninò argumento maximè, quòd Profeſſores ipſos & ſumma ſit humanitate proſecutus, & huiuſmodi illos honoribus affecerit: qui non præſentem tantùm aliquam teſtari beneuolentiam potuerint: ſed liberali eorum ſuſtentationi plurimum attulerint præſidij: dum alijs Canonicatus, alijs Decimas, quibuſdam Vicariatus, ex alijs Eccleſiarum collegijs adijceret: vnde facta ſtipendiorum liberalior acceſſio, eximiam profectò alacritatem intulit docentibus: quorum diligentia & Scholæ dignitas, & nomen Diſciplinis comparatum eſt; quæ tum quidem apud nos & depurgatæ ſordibus, & manifeſta vtilitatis ratione proponi atque explicari ceptæ ſunt. Ventitabat in Scholam ſubinde non ſtipatus multis; ingreſſuſque operam dedit publicè docentibus. Eo nomine & reuerentiam auxit in diſcipulis; & authoritatem doctoribus conciliauit. Inuitatos interdum profeſſores, ſuęque menſę etiam admotos non excepit tantùm & tractauit liberaliter; ſed & de Scholæ ſtatu rebuſq; neceſſarijs diligenter ſciſcitatus eſt. Hac regis bonitate iudicioq; conſultum eſt honoribus docentium in Academia, aduerſus calumnias eorum qui perſequuntur literas: quorumq; in multis principum aulis copioſus ſubinde numerus eſt & prouentus ſingularis.

Cum

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 669 4° copy 2

Cum certamen aliquando eſſet Collegio Lundenſi aduerſus doctrinæ tum apud nos repurgatæ formam: ſeriùs enim eius Eccleſię Canonici mutationẽ rituum & ſuperſtitionis abolitionem ſuffragijs ac conſenſu ſuo approbauerunt: Ea verò de re futurum eſſet publicè Colloquium in Academia Hafnienſi: cum Sententiarum collationem Lundenſes minimè detrectauiſſent: quòd viris & doctrina præcipuis, & authoritate maximis in hunc etiam diem Collegium Lundenſe antecellat: ingreſſus Scholam eſt rex Chriſtianus die conſtituto: quodq; mirum fortaſsè eſt, cum ingens frigus eſſet, & de crure altero, vt ſcimus, laboraret; inter primos tamen adfuit; aſſeditque medijs in gradibus ſine pompa atque oſtentatione: E quo loco & iuſta authoritate, & exhortatione placida totum colloquij actum ad optimum & ſalutarem Eccleſiæ finem perduxit ac gubernauit. Hæc res magnam ipſi cum pietatis laudem; tum ſtudij conatusque propagandi Euangelij de Chriſto, veram profectò & ſolidam exiſtimationem attulit. Huiuſmodi autem colloquio id perfectum eſt, Palladij, Machabæiq; & Sinningij ſtudijs atq; induſtria præcipua: vt ſententia Lundenſes cederent: ſeque Eccleſijs noſtris iunxerint, & aſſenſum ſubſcriptionibus manuque ſua haud inuiti confirmarint.

Sed orationem hiſce quidem de rebus non faciam hoc in loco prolixiorem. Tota enim Regis huius vita pulcerrimis ac ſuauiſſimis morum exemplis; ceu fonte quodam ad omnem Clementiæ, fortitudinis ac bonitatis admirationem vberrimò ditiſſimoque redundabat: ita, vt ſi in omnes actiones priuatæ vitæ ac conuerſationis huius intueri libeat; equidem & ſanctiſſima vitæ inſtituta, & agendi iucundiſſimas omninò rationes comperies ac fateare. Conflictabatur ſubinde morbis: ijſq; & maximis profectò, & interdum etiam longiſſimis: à quibus tamen eluctatus eſt partim naturę beneficio; partim ope Medicorum

corum

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 669 4° copy 2

corum qui apud hunc Regem ſummo ſemper loco & habiti ſunt, & authoritate valuerunt. Inter eos tamen peritia ac medendi felicitate clariſſimos noui Iohannem Pomerium, Anglum: Iacobum Bordingum, & Cornelium Amsfortium, Doctores: Paſchatium verò, Iacobum Haſenbarthium, & Robertum Geilshemium Chirurgos: qui & viri erant boni, & artificio præſtabant excellente; aulamque ſecuti magno certè conſilio magnisque deliberationibus hanc curam circa ſanitatem Regis perfecerunt; donec circumacta mali iſtius vltima fataliq́ue periodo, ſanctam profectò & glorioſam inter ſuos vitam Coldingi Chriſtianus finijt: qui Ottoniam poſteà tranſlatus eſt: ibique ampliſſimæ Nobilitatis humeris elatus: & à me laudatus oratione publica Latina; aſtante Friderico filio, deſignato Rege: præſentibusque Holtzatiæ Ducibus, fratribus; Atque Inclyto ipſo regni Senatu iam tum pullato, communemq; patriæ atque Ampliſſimi ordinis dolorem luctumque teſtante, in Canutina Ottonienſium æde ſarcophago includitur: quo loci Regiam, quæ alibi futura aliquando eſt, ſepulturam expectat ac præſtolatur.]

Hanc narrationem de Optimo atque Humaniſſimo Rege extare hoc in loco volui: quam tibi, Inclyte Senatus; propterea placere poſſe cogito; quòd & ipſe Virtutes colas ac magnifacias: & in magnis illas Regibus Principibusque claras verasque & conſpicuas exiſtere; cumprimis & admirandũ certe; & nunquam non optandum eſſe putes. Sed hac de re orationem non extendimus inpræſentiarum.

Proximus enim ab illo ſancto & verè Chriſtiano Rege, ad veſtram Noribergenſium rempublicam reſpectus eſt. In eam enim quoties intueor; veſtræque Ciuitatis formam ad huius temporis mores, licentiamque ac vniuerſalem penè omnis pudoris reuerentiæq; ac ſobrietatis profligationem confero: etſi

perfectam illam, quæ in Ideaticis philoſophorum diſputationibus tantoperè extollitur ac commendatur; Virtutum omnium atque humanitatis formam, in nulla prorſus gente reperiri poſſe duxerim: tamē ſicut in his mundi ac confracti penè theatri ruinis; eſſe poſſit humanitatis, fidei ac virtutū captus; equidem ita cenſeo, in nulla propemodùm ſocietate hominū maiorem exiſtere ad virtutes occaſionē, quàm in Republica Noribergenſium: qui qua ratione quantisque ſtudijs pietatem promouent; vniuerſo orbi Chriſtiano, vel fama cognitum, vel vſu ipſo exploratum eſſe poteſt. Vtq; huius rei non alios nunc producam teſtes: Ipſa legum reuerentia, ac diſciplinæ religioſa obſeruatio; cum ſumma Chriſtianaque animorum promptitudine atque affectione ad retinendam propagandamque Euangelij doctrinam de Chriſto; hanc iudicij noſtri ſententiam auxerit ac confirmarit. Etſi enim Rempublicam veſtram mihi hactenus non videre contigit: quòd alijs atque alijs impeditus perficere nequiuerim profectionem; quæ animo meo erat aliquando egregiè conſtituta: tamen cum eximij certè multi ac præſtantes viri formam ordinemque & mores veſtræ mihi Reipublicæ depinxerint: equidem in eam ſum ſententiā adductus: vt veſtræ vrbis ſtatum multis profectò, & ijs omninò ornatiſſimis Europæ Ciuitatibus anteponendum duxerim: ſuisq; laudibus ac vera ob virtutem commendatione meritò extollendum. Non quòd ea quæ in alijs ſunt, omnia culpanda eſſe putem. Etenim ita ſentire; vilis profectò, inſulſique atq; inexperti demum ingenij eſſet id indicium: quòd & in ſingulis gentibus; & alijs in Ciuitatibus præclara ſint & venuſtè referenda plurima: quorum & ratio apprimè elegans eſt: & vſus ipſe dignitatem habet cum vera humanitate conſentiētem & copulatam: ſed quòd Noribergenſium Reipublicæ id & donatum fato: & optimarum actionum vſurpatione ita confirmatum ſit: vt quæ

recte vereq; celebrari debeant & poſſint; nec maiora, nec plura vſquam gentium reperiantur. Superent alij quidem interdum etiam in alijs. Et notum iam pridem eſt; quid in quaque gente cumprimis ſpectari laudariq; meruerit: At ſoli Noribergæ contigit in omnibus excellere; quæcunque illa ſibi vſurpanda ac colenda eſſe ſtatuit. Primùm enim quæ circa cultum Dei & veræ pietatis vſum exercenda erant, ſanctè religioſeque conſtituta ſunt & obſeruantur. Deinde cum Ciuitatem legibus atq; authoritate adminiſtrent: equidem & dignitas ſpectatur in officijs: & ſua ſingulis ita commendata eſt conditio: vt cum nullus non ad publicam ſpectet vtilitatem Reipublicæ: omnes tamen quæ propria ſunt, perficiant: neque quiſquam in toto illo reperitur numero; qui calumnijs aut virulenti pectoris clamoribus fraternam Ciuium concordiam aut appetere, aut perturbare audet. Soli Magiſtratui in id voluntas omnis prominet; vt rectè ſeſe habeant omnia circa ſubditos. Hiſce verò quo pacto Ciuitatem patres adminiſtrent; nulla profectò inquirendi ſolicitudo eſt: vt qui iudicio, legibus, ac voluntati maiorum ſuorum penitùs acquieſcant. Interea ſumma eſt humanitatis cura; certantque Ciues inter ſe beneficentia; non tantùm quòd ſemetipſos complectātur mutuis officijs: ſed quòd egregia quoque ac paratiſſima vtantur erga hoſpites & peregrinos liberalitate: adeò vt cum in multis alijs plerunque omnes ſuperent: equidem præclaram ſibi etiam ex hac re ſinguli ſtudeant exiſtimationem comparare. Huic facilitati ac egregijs animorū ſtudijs conferunt diuitiæ; quę quidem abundantes ſunt in hac republica: eò etiam fortaſſe cumulatiores, quòd parandis facultatibus induſtria ac promptitudine maxima, Ciuitas antecellat. Itaque ſic abundant omnes opibus: vt non tam iucunda earum ſit poſſeſſio, quàm honeſtus putatur vſus ad omnem Reipublicæ & quærendam, & conſeruandam dignitatem. Et quidem

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 669 4° copy 2

dem Miniſterio Euangelij; quod ad Salaria miniſtrorum; Scholas & pauperum curam attinet, rectè proſpectum eſſe comperi.

Vtinam verò idem de cunctis Chriſtiani orbis regibus, principibusq; ac Rebuſpublicis liceret verè dicere: equidem & doctiores eſſent in multis gentibus miniſtri Euangelij: & maius ſanè exiſteret præſidium Eccleſiæ aduerſus barbariem, & prophanas multarum rerum opiniones, quę latè pullulant; magiſque ac magis indies confirmantur. Quin verò proprium ſuum & pręcipuum finem tum demùm caperent diuitię, ſi honeſtiore interdum atque vberiore portione deputarentur ſuſtentationi eorum qui publico doctrinæ miniſterio ſalutem hominibus iuxta voluntatem Dei ſuo quiſque loco annunciarent. At quali hîc ſe quidam iudicio, qualique manu produnt: quanquam referri minimè neceſſe ſit: tamen ingemiſcere liceat ac deplorare, tanta vel ſtoliditate, vel auaritia, vel feritate quorũdam occupari animos: vt cum de ſuo ipſi nihil cõferant ad Miniſterij vſus & ſuſtentationem miniſtrorum: equidem id quod aliquando collatum eſt ab alijs, nimis accuratè rapiunt, occupantque ac interuertunt: prætextuque neſcio quo demùm ſpecioſè conſtituto transferunt ad ſe; quod ad ſe tamen in vniuerſum, hoc præſertim vſu, nequaquam pertinere exiſtimarent. Interea quanta multi inopia, quantaque miſeria conflictantur præcones Euangelij; & illos, quibus res nota eſt, iudicare volo: & experiri cuperem iſtos; qui dummodò portio illis ſua quoque è pane Chriſti decidatur; inuolandi poteſtatem faciunt: nihilque ea in re geſtum eſſe clamitant; quod non iure, non legibus & ſacra principum authoritate geri poſſe videatur. Sed querelæ manifeſtę ſunt; illaſque hunc in locum inſeri minimè neceſſe eſt. Id equidem audacter dixerim; Aurum hoc, quod ea via, eoq; artificio colligitur; plerunq; Toloſanum eſſe: & manſuram perpetuò regulam, Vę qui ſpolias, quoniam ſpoliaberis.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 669 4° copy 2

Qui verò Eccleſiarum bona ita ad ſe aliquando reduci voluerunt: vt & deſinerent illa impietatis ac ſuperſtitionum nerui eſſe: & ipſi demùm principes, Rerúmue publicarum præſides patroni eorum ac diſpenſatores potiùs, quàm poſſeſſores eſſent: vt è quibus poſtea publico Euangelij miniſterio, Scholis, Eccleſijs & diuerſorum pauperum neceſſitatibus proſpicerent ac prouiderēt: eorum ſanè cum alijs nequaquam pari lance eſt adæquanda ratio. Hæc enim ad Magiſtratum cura pertinet; non tantùm armis partaq; pace tranquilla præſtare Eccleſijs Hoſpitia: ſed ſolertem ſe & minimè formidoloſum impietatis profligatorem atq; euerſorem exhibere: vt qui nullo modo, nulla ratione, nulla denique lucri aut compendiorum ſpe committat publicam ſub ſe prophanitatem atq; blaſphemiam in filium Dei, vnicum humani generis redemptorem, impunè frequentari: ſed quodcunque fuerit impietatis genus; tollendum ſibi id & properè ſubuertēdum eſſe putet. Qui igitur huic prophanitati eximunt Eccleſiarum facultates; vt veris vſibus accommodent: rectè egiſſe illos, & commendatione dignos eſſe exiſtimandum eſt. In multis autem locis probè id actum eſſe conſtat. In Ciuitatibus pleriſq; res illa egregiè vtiliterque perfecta eſt. Quod ad Regna attinet: equidem Anglicarum Eccleſiarum audio ſtatum vehementer cōmendari. Sicut enim pulcerrima virgo illa & Regina optima iudicio, virtutibus ac Sapientia mortales multos ſuperat & antecellit: ita in conſtituendis Eccleſijs; cum nihil non ad gloriam Dei, per quem verè regnat, decernendum ſibi atq; ordinandum duceret: equidem cum iſtis (vt loquuntur) Eccleſiarum bonis; niſi quantum tutelæ, diſpenſationis ac piæ adminiſtrationis nomine cōueniat: minimum profectò agendum ſibi eſſe cenſuit: in hoc etiam ſolerter prudens; ne cum Deo ſuſtentante hæc ampliſſima poſſideat; mediocria etiam illa, quæ diuinis iam pridem erant conſecrata

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 669 4° copy 2

ſecrata vſibus, haud neceſſaria coronę ac regni indigentia ad ſe, priuatamq; vtendi libertatem traheret ac reuocaret. Ita ſua manent Eccleſijs bona, abuſibus ſemotis; qui propter impietatem non erant tolerandi.

De noſtro verò hoc Daniæ regno id affirmare auſim; in nulla penè orbis Chriſtiani parte rectiùs conſultũ eſſe toti Eccleſię miniſterio; ſiue ſcholaſticorum fortaſſe victum; ſeu docentium ſalaria: ſiue pauperum curam, ſiue Paſtorum verbi reditus, ſtatumq; ac conditionem vera omninò ratione aſpicias ac conſideraris. Tanta ſolicitudine, prudentia ac liberalitate hanc vocationis ſuæ partem perficit optimus Rex, & Sapientiſſimus Deoque amabilis princeps Fridericus II; qui quanquam multas hactenus difficultates in Imperio expertus ſit: ita tamen in his verſatus eſt; vt & animi fortitudinem in cunctis aſperitatibus egregiam prorſus & heroicam oſtenderit: & actiones huc ſuas accommodarit omnes; vt ſolidam ex bello pacem quæreret; pacisque fructum cum imperij dignitatem, tum liberalem Eccleſiarum conſtitutionem eſſe exiſtimarit. Et quidem maxima beneficia non tantùm ad Academiæ Hafnienſis incrementa ac ſtatum; (præter enim ampliſſima ſtipendiorum publicorum ſupplementa, quibus melior docentium eſt reddita conditio: equidem vno die ſexaginta Thalerorum millia, annuis illorum fructibus; in pauperum ſtudioſorum perpetuã ſuſtentationem de ſuo contulit, ordinauit & ſancijt.) ſed ad ſcholas etiam particulares, paſtores verbi Dei omnes, cum pertinere omninò voluiſſet: dici profectò nequit, quantum eam ob rem confirmati ſunt omnium animi, exiſtimantium ita conſultum eſſe ſtudijs ac laboribus docentium: vt niſi fatali aliqua ob ingratitudinem inſolentiamúe calamitate afficiantur: equidem nec bonę literę ob raritatem profitentium; nec eruditi ob inopiam ſalariorumúe tenuitatem, vllis Eccleſiarum miniſterijs

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 669 4° copy 2

in hoc Daniæ regno ſint vnquam defuturi. Quid alijs in locis ſit, nunc non refero. res in conſpectu poſita eſt; & experientia ipſa monere quemq; poteſt. Sed longiùs fortaſſe prouehimur oratione. Veſtræ igitur cum ſtatum Reipublicæ interdum intuemur; non tantùm ea quæ Miniſterij publici ſunt rectè ordinata eſſe ducimus: ſed modeſtiam miniſtrorum & in docendo diligentiam cumprimis extollimus atque admiramur. Non enim flabella hij ſunt aut diſſentionũ tubæ: ſed cum à nouarum ſcriptionum intempeſtiuis farraginibꝰ egregiè manus temperant; tum in veteri ac repurgata doctrinæ forma perſiſtentes, & maiorum ſuorũ voluntatibus; & reſtitutæ per Lutherum Melanthonemq; ſententię ſcripturarũ, ſine contentionibus & præſtigijs placidè acquieſcũt. Huius conſilij ratio in vtroq; ordine, vehementer commendanda eſt. Ad has autẽ Reipublicæ virtutes accedit præterea & cæterarũ chorus: qui Iuſticia duce, ac cuſtode Sobrietate, vniuerſam (quantum fieri in hac mortali vita queat) felicitatis formam atq; harmoniam perficit & abſoluit.

Nunc igitur ad rei ſummam cum omnia mihi ſint, Ampliſſime Senatus, referenda: facilè intelligis, quid hoc demùm inſtituto laboreque potiſſimùm ſpectauerim; quòd inclytam Noribergenſium Rempublicam voluerim complecti hoc præſenti Carmine. In ea enim cum multa grataque omnis generis virtutum conſpici ac vigere exempla audiam: Exemplis verò plurimùm moueri ſciam omnes homines ad imitationem: denique & id putem meritò cenſeri maximum; Eſſe, quàm videri bonum velle; ſicut ſuauiſſimè de Amphiarao dixit Aeſchilus: equidem ex hac Republica ſingularem quandam Virtutis imaginem volui in theatrum producere: in quam reſpicientes alij, ſuis quoque inferrent lucem actionibus: ſeq; ad honeſtam ſanctamque virtutis atque officiorum exercitationem maturè conuerterent ac compararent. Non dubium autem

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 669 4° copy 2

tem eſt, ingens hoc & ſingulare Dei donum eſſe: quòd in Re-
publica ac elegante illa veſtra hominum ſocietate, aliqua ad-
huc virtutum, humanitatis, Concordiæ atque vtilium artium
veſtigia vſusq; conſpiciantur: cùm & Imperia mole ſua ad rui-
nam tendant: & in illis ipſis quæ mediocri adhuc quorundam
diligentia vel fulciuntur, vel promouentur; tanta inſit occaſio
ad licentiam: neruusque diſciplinæ omnis penè inciſus ſit: &
multis denique in locis ita virtus labet; vt etiamſi nominis re-
ligioſa ſit & honeſta appellatio: rei tamen in anguſtum ſint re-
dactæ copiæ; idque adeò, vt dictis licet ac ſcriptis moderatio-
nem & conſtantiam plerunque omnes approbent: qui tamen
opere quę laudata ſunt, perficiat; inter paucos certè rariſſimum
quemque omninò reperiri. Alios alia abducunt ad pernitiem:
& cum humani videri herclè multi velint, vel profuſionibus
luxuriant: vel alijs modis, tanquam affuſo veneno actionibus,
virtutum pulcritudinem abrumpunt. Hæc poteſtas tenebra-
rum eſt, & tyrannis Sathanæ; aduerſus quam ſub Chriſto prin-
cipe eſt militandum Chriſtianis. Cùm ergo hoc certamen egre
gium conſtansque ac diuturnum Reipublicę Noribergenſium
eſſe comperi: non tantùm illam ſum ex honeſta aliorum narra-
tione admiratus: ſed laudandam eſſe cenſui hoc ſcripto: quod
publicum meę erga optimam ac pulcerrimam Rempublicam,
affectionis, iudicij ac voluntatis teſtimonium extare cupio ad
poſteritatem. Multorum autem commendatione ad hoc offi-
cium pertractus ſum. Nam & eius rei præclaram mentionem
audiui ſæpè fieri ab optimis viris in Germania, Philippo Me-
lanthone, Ebero, Vito VVinshemio ſeniore Thucydideo; Se-
baſtiano Theodorico VVinshemio Medico & Mathematico
clariſſimo, & alijs: qui vel bonas literas tunc temporis in Scho-
la Vitebergenſi profitebantur; vel diſcentium numero eas me-
cum ſub præceptoribus doctiſſimis amplexi ſunt & conſectati.

Poſtea

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 669 4° copy 2

Poſtea verò & hanc mihi auxerunt admirationem partim Ciues veſtri, qui nunc in hoc Daniæ regno, eximij profectò ac præſtantes artifices nobiſcū reſident ac commorantur: partim Nobilitate ſumma clari: qui è noſtratibus inſtituti apud vos, gratiſſimi teſtes ſunt Virtutis, humanitatis ac beneuolentiæ, qua ſe interea dum abſunt à patria longiſſimè, ita cōplexi ſunt optimi Reipublicæ Ciues: vt eius conſuetudinis officiorumq; nequaquam obliuiſci velint. Et quidem frequenti hac commemoratione delectatur Iohannes Skougardius, vir & Nobilitatis dignitate, & Virtutis fama maximus: qui à primis annis in illuſtri Noribergenſium Republica educatus, ita virtutū actionibus aſſueuit: vt à vobis rediens Cancellariæ regum Daniæ ſit è veſtigio commendatus: eique interim officio iam vacauerit viginti annis ea ſolertia, eaq; animi ac curarum moderatione: vt & plurimas omnino moleſtias pertulerit; & nunc Inclyto Danorum regi, Friderico II. à ſecretis ſit & à Conſilijs, ea quidem virtute ac morum admirabili ſuauitate præſtans: vt cum nuſquam ferè à principis conſpectu latereque ac conſuetudine diſcedat: equidem omnium negocia cauſaſque ac neceſſitates ad eum plerunque finem promouet: quo & oſtenſa eius humanitas & fides; & miſerorum indigentijs authoritate ac conſolationis bono conſultum eſſe, videatur. Huiuſmodi diſcipulorum progreſſu ac moderationis perceptæ declaratione eſt Reipublicæ Noribergenſium reuera gratulandum: cui cum curæ ſit virtutum ſtudia prouehere; non tantùm ipſa hoc ſibi pacto nomen ac dignitatem ſummam peperit: ſed & alijs habere dignitatem dedit: vt quibus verum ad honores aditum exemplo, diligentia atque humanitatis vſu perſuaſerit ac confirmarit. Quin & recèns à vobis Georgius Ericius ille noſter rediens, cui nunc commiſſa eſt Eccleſiæ Stauangrienſis cura in Nortuegia: cum hoc me fortè fortuna agentem reperiſſet; dici mehercle

nequit,

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 669 4° copy 2

nequit, quantoperè adhortatus ſit vt pergerem. Mirificè enim delectabatur inſtituto: Eſſeque Rempublicam Noribergenſium ea & conditione, & virtutum omnium ſplendore; vt non poſſe tantùm eam; ſed & debere commendari dixerit: ſibi verò id ita vſu ac Ciuium beneuolentia compertum eſſe: vt in nullo collocari laborem rectiùs; in nullo præclariùs impendi eum aut exantlari poſſe ducat. Ita currentem me ille magisq; ac magis incitauit verbis: egoq; animum mihi ab inchoata, imò tum penè ad vmbilicum perducta ſcriptione, nequaquam reuocandum eſſe exiſtimaui. Huiuſmodi igitur à cauſis ad hanc ſcribendi operam perductus ſum. Si quid illa autem fortaſsè placeat; equidem feliciter inceptam illam & perfectam dixerim. Sin minùs; nihil tamen pigebit inſumpti ſtudij: quòd Virtutibus laudandis, ſtabiliendæque Concordiæ inter bonos potiùs, quàm ſerendis odijs aut ſuſcitãdis Imperiorum flammis hanc mihi & ſcribendi mediocrem facultatem, & ipſam vitam ſuppetere ac prorogari velim. Ad te verò, inclyte Senatus; vtcunq; conceptam hanc & delineatam Reipublicæ veſtræ imaginem ac deſcriptionem mitto. Iuſtè enim hunc tibi laborem deberi cenſeo; quòd per te & ſalus Reipublicæ; & omnium ordinum dignitas conſiſtat, conſeruetur & vigeat. Etſi autem ex ampliſſimis Ciuitatis veſtrę bonis ea tantùm quę vel pauciſſima ſunt; vel noſtram ad cognitionem tanquam pręcipua notioraq; peruenire poterant; hoc ſcripto comprehendimus: ſintque pagellę pauciores fortè & incultiores; quàm quę pręclaram gratiam aliquam aut laudem mereri omninò queant: cum tamen dedicantur vobis; qui fortunis, authoritate & iudicio antecellitis: ſpe minimè exigua ſuſtentor; ſi non perfectione quadam ſumma placeant: genio tamen ſuo, atque hac pinguiore fortaſſis adumbratione, propter rerum elegantiam, & vrbis veſtræ authoritatem, bonis ac doctis omnibus eſſe omninò placituras.

*****

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 669 4° copy 2

Nec dubito huius argumenti amplitudinem à veſtrę Reipublicæ doctiſſimis alumnis tractari explicarique potuiſſe rectiùs: Vt quib⁹ ceu domeſticis omnes rerum Veneres, omnes anfractus ac vniuerſæ Ciuitatis forma probè cognita eſſet & explorata: dabunt tamen veniam hanc peregrino: qui & virtutes in quacunque gente admirari probareque honeſtum eſſe ſtatuit: & fas ſibi eſſe duxerit ea quæ mirari ac probare piè poteſt; ad poſteritatis iudicium publico ſcripto, ac honeſto virtutis teſtimonio tranſmittere & propagare. Optarem etiam plura nobis de inclyta hac Republica fuiſſe vel vſu ipſo, vel doctorum monumentis comperta & deſignata: equidem creuiſſet opus numeris; & gratiam auxiſſet rerum copia; quæ cognita explorataque ſuis; ſine voluptate profectò legi non potuiſſet ab alienis. Si quid tamen eius fortaſsè nunc deſit; vt deeſſe multa ſanè non negauerim: ſtudium aliquando nobis erit id pertexendi: quò quod taceri minimè oporteat de optima Republica Noribergenſium; etiam noſtra cura noſtriſq; aliquando vigilijs ad gratam poſteritatis memoriam tranſmiſſum eſſe videatur.

Quemadmodum autem ex Sole lucido ſparguntur radij; qui vniuerſum Circuli ambitum attingunt: Ita in ipſo penè Germaniæ vmbilico ſita Noribergenſium præclara Ciuitas; exemplar ſe Virtutum exhibet: in quod cum intuentur ſparſi latè populi; vel ſimilia planè faciunt: vel ad imitandum ſeſe quanta liceat animorum alacritate, ſuſcitant & componunt. Superent quidem vetuſtate haud paucæ fortaſsè aliæ: At Noribergēſium alacritas ſolertiaque non tantùm ſegnitiem excuſſit plurimis: ſed illarum fortunam creſcendique deſiderium & conatus maximos tum exemplo auxit, tum ſubſequendi ſpe egregiè confirmauit. Sed hæc amplificare nolo. Peto autem à te, Ampliſſime Senatus; vt & orationi huic noſtræ ignoſcas fortaſsè prolixiori: & totum tibi hoc opus placere atq; acceptum eſſe ſinas.

Nihil

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 669 4° copy 2

Nihil aſſectationi hîc aut adulationibus indulgeo: ſed congerie quadam aliquot exempla retuli: quæ ob virtutem & commendata eſſe omnibus; & ſuo loco imitari cunctos volo: ijsque demùm exercitijs id inter Chriſtianos fieri: vt cum pulcra ſit & veneranda Virtutis appellatio: etiam exiſtant tandem aliqui: qui ſanctiſſimis vitæ inſtitutis id quod tantoperè extollunt laudibus; perficiant: nuſquamq; ceſſent inter ſuos; quin quæ pulcerrima eſſe audiant, æmulari facta velint.

Vtinam floreat Reſpublica: multosque Schvveppermanno & Vernero ſimiles producat: qui & belli artibus, & humanarũ diſciplinarum vſu ſuperent: idoneique ſint, qui Maiorum ſuorum ſemper locum expleant: nunquamque deſit honeſta Ciuitati ſoboles, quæ Rempublicam capeſcere: acceptamque à progenitoribus fidem ac virtutum maximarum poſſeſſionem tueri cum dignitate; atq; ita eam tandem velut hæreditatem optimam vberrimo ſanè felicitatis incremento tranſmittere poſſit ad poſteritatem. Benè valeat inclytus Noribergenſium Senatus: meque in ijs habendum putet, quos amare ſemper velit. Hafniæ Danorum, 17. Ianuarij, Anno 1572.

Veſt. Amplitud.

addictiſs.

Cimb. Eraſmus Michaelius Lætus, Acad. Hafnienſis Profeſſor.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 669 4° copy 2

INDEX PROPRIORVM NOMINVM QVORVM IN HOC OPERE FIT MENTIO.

A.

AEſchilus Poëta.
Agathocles rex Siciliæ.
Albertus Durerus pictor Noribergenſis præſtantiſſ.
Albis fluuius.
Alpes.
Alphonſus rex Arragonum.
Amphiaraus.
Anglia.
Antonius ab Haniſck Secretarius Chriſtiani III. & Friderici II. regum Daniæ: Vir admodum bonus & doctrina liberali excellens. Canonicus Roskildenſis.
Antonini Imperatores.
Antuerpia.
Argentina, vrbs libera & inter Germaniæ ciuitates munitiſſima.
Aſſyria.
Auguſtus Imperator.
Auguſta Vindelicorum, Imperialis & pulcerrima Ciuitas in Sueuia.

B.

Babylon.
Bamberga Ciuitas egregia & vetus in Franconia: Ioachimi Camerarij patria.
Baſilea.
Bauaria.
Belgæ.
Bernhardus Vichboldus Groningenſis, Iuriſconſultus in aula Chriſtia. III. regis Daniæ.
Bomgartnerorum familia nobiliſſima & præſtantiſſima apud Noribergenſes.
Burggrauij Noribergenſes.

C.

Canuti, Reges Daniæ.
S. Canuti templum apud Ottonienſes in Fionia, vbi Chriſt. III. Daniæ rex, ſepultus eſt.
Carolus Magnus Imperator.
Carolus V. Imperator.
Carthago.
Caſparus Cruciger, Theologiæ Doctor

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 669 4° copy 2

ctor & profeſſor Vitebergenſis, vir doctrina & virtute excellens.
Celtæ.
Chremyldis Regina, poſſedit Formatiam.
Chriſtianus III. rex Daniæ: pacis, pietatis & literarum inſtaurator, pater patriæ: princeps glorioſus & ſemper honorandus.
Cobulentia, egregia Ciuitas ad littus Rheni.
Coldingum, vrbs pulcra & delicata in Cherſoneſo Cymbrica.
Colonia pulcerrima & ampliſſima Ciuitas in Rheni littore.
Conſtantinus Imperator.
Corficius VVlfelt, de Kousböl Secretarius & Conſiliarius ſub Chriſt. III. rege Daniæ.
Cornelius ab Amsfort Doct. Medicinæ in aula Chriſt III. regis Daniæ.
Crœſus Lydorum Rex.
Cunradus Daſypodius profeſſor Mathe. in Schola Argentinenſi.

D.

Dania.
Danubius fluuius.
Drauus fluuius in Danubiũ influens.

E.

Edouardi, III. IIII. VI. reges Angliæ.
Elyzabetha, Angliæ & Franciæ Regina Virgo: Henrici VIII. filia: princeps ſapiens, & literarum amantiſſima.
Eobanus Heſſus Noriberg. poëta ab ipſis Muſis laureatus.
Eraſmus Roterodamus, reſtitutor bonarum literarum in Germania.
Eraſmus Latus.
Ericus Banner de Aſdal, Marſchalcus & Senator regni ſub Chriſtiano III. rege Daniæ: vir optimus, & ſubditorum amantiſſimus.
Erythræus, profeſſor Oratorius & Ethicus in Schola Argentinenſi.
Euphrates.
Europa.

F.

Falerni.
Fidenates, populi vetuſti in Italia.
Franci.
Franciſcus I. Valeſius, rex Galliæ, literarum aſſertor, & patronus fideliſſimus.
Francofurtum, præclara Ciuitas imperialis ad Mœnum fluuium.
Fridericus I. rex Daniæ.
Fridericus II. rex Daniæ, princeps erga Euangelij Miniſtros, bonarum literarum profeſſores, & pauperes ſtudioſos in regno Daniæ, liberaliſſimus, et hac virtute incomparabilis.
Fuggerorum familia Nobiliſſima & clariſſima Auguſtæ Vindelicorũ in Sueuia.

G.

Galenus, Medicus.
Galli.
Ganges fluuius, Indiæ.
Germania, præſtantiſſima Europæ natio.

Georgius Ericius Epiſcopus Stauangrienſis in Northegia.
Goſtaus I. rex Sueciæ, princeps ſapientia & amore literarū maximus.
Gotthi.
Gudius, fluuius nobiliſſimus in Cherſoneſo Cimbrica, qui alluit Randruſium.

H.

Hadrianus Jmperator.
Hafnia, elegantiſſima & Regia ciuitas in Dania.
Hallerorū familia egregia apud Noribergenſes.
Hatto, Epiſcopus Moguntinus impiiſſimus à muribus in medio Rheni deuoratus.
Henricus Jmperator Bambergæ ſepultus.
Henrici, V. VI. VII. VIII. reges Angliæ: Principes erga literarum bonarum profeſſores liberaliſſimi.
Henricus à Brochoffen, Concionator in aula Chriſtiani III. regis Daniæ: Decanus Lundenſis.
Henricus Ryſus doctiſſimus & diligentiſſimus Ludimagiſter Noriberg.
Hetruſci.
Hieronymus Bomgartnerus Cōſul & Patricius nobiliſſimus apud Noribergenſes: præcipuus literarum fautor.
Hiſpania.
Holoander, Juriſconſultus Noribergenſis celeberrimus.
HoltZatia.

I.

Iacobus Bordingus, medicus Hafnienſis.
Iacobus Haſenbarth, Chirurgus peritiſſimus in aula regis Daniæ.
Jmhoſiorum familia clariſſima apud Noribergenſes.
Joachimus Camerarius Pabenberg. Philoſophiæ, & Græcæ linguæ ſummus illuſtrator: moderator ſtudiorum præcipuus in Academia Lypſenſi.
Johannes Fryſius de Heſſelagger Senator & Cancellarius Regum Daniæ: literarum & pauperum patronus ſummus.
Iohannes Skougardius de Skougaard Secretarius & Conſiliarius in aula Chriſtiani III. & Friderici II. regum Daniæ: vir optimus & modeſtiſſimus.
Johannes Bugenhagius Theologus & paſtor Eccleſiæ Viteberg.
Johannes Sturmius, primus Inclytæ Argentinenſis Scholæ ordinator: vir humaniſſimus: puritatis linguarum & philoſophiæ inſtaurator: ſummus eiuſdem Scholæ gubernator & profeſſor &c.
Johannes Forſterus, Theol. Viteberg.
Johannes Machabæus, Theolog. Hafnienſis.
Johannes Synningius, Theolog. Hafnienſis.
Johānes Pomerius Anglus Medicus, in aula regis Daniæ.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 669 4° copy 2

Johannes Schönerus Mathem. Noribergenſis.
Johannes Siben, Belga, aurifaber in aula regis Daniæ.
Juſtus Ionas Theolog. Viteberg.

L.

Læander.
Löffelholtica familia, clariſſima apud Noribergenſes.
Londinum, Angliæ Regia vrbs pulcerrima.
Lubecum, vrbs Jmperialis ad mare Balthicum &c.
Lucas Cronius, pictor Viteberg.
Lugdunum, ciuitas Galliæ.
Lunda, Ciuitas egregia vetus et Metropolis Daniæ.
Lypſia, vrbs Miſniæ pulcerrima.

M.

Magnus Göije de Krenckrup S. Regij palatij Magiſter ſub Chriſtia. III. rege Daniæ: vir manſuetus & ſuorum amantiſſimus.
Martinus Lutherus, Theolog. Vitebergenſis, repurgator doctrinæ Euangelicæ de Iuſticia hominis peccatoris quæ per fidẽ eſt in Chriſtum.
Mauritius Helingus, Superintendẽs Noribergenſis, vir placidiſſimus & doctiſſimus.
Michaël Beutherus, Iuriſconſultus, & Hiſtoricus, profeſſor Argentinenſis.
Michaël Angelus pictor nobiliſſimus in Jtalia.
Mœnus, fluuius Germaniæ.
Moguntia, vrbs ad Rhenum.
Monachum, pulcerrima Ciuitas in Bauaria.
Moſella fluuius in Rhenum influens.

N.

Noriberga, vrbs Imperialis clariſſima & ditiſſima.
Nortuegia.

O.

Obertus Giphanius, Juriſconſultus, & profeſſor in Schola Argẽtinenſi.
Olaus Roſenkrantz de Valloff Senator regni ſub Chriſtiano III. rege Daniæ, vir modeſtiſſimus, ſuorum amantiſſimus.
Orichiorum familia clariſſima apud Noribergenſes.
Ottonia, Ciuitas pulcerrima in Dania.

P.

Paracelſus Medicus.
Paſchatius, Chirurgus in aula Chriſtiani III. regis Daniæ.
Paulus Nouiomagus, Concionator in aula Chriſtiani III. regis Daniæ.
Paulus Eberus Theologus & paſtor Eccleſiæ Vitebergenſis.
Pegnitius, fluuius, Noribergam interluens.
Perſes rex Macedoniæ.
Petrus Oxe de Gysleſelt, Conſiliarius & Senator regni ſub Chriſtiano III. rege Daniæ: nunc verò S. Regij palatij Magiſter ſub Friderico II. rege Daniæ: vir ad promouenda literarum ſtudia natus & amator patriæ.

Petrus

Petrus Palladius, Epiſcopus Sialandiæ & Theologus Hafnienſis.
Petrus Paulinus, paſtor Eccleſiæ Roſkildenſis ad S. Lucium, vir modeſtiſſimus.
Philippus Melanthon Theologus & profeſſor Vitebergẽſis, aſſertor doctrinæ Euangelicæ de Chriſto: artium & linguarum vindex: vir iudicio & virtutum Chriſtiano vſu incomparabilis.
Pinifer mons Germaniæ.
Polonia.

R.

Randruſium, excellens vrbs in Cherſoneſo Cimbrica.
Regnitius fluuius.
Rhenus.
Rhodanus.
Roskildia, Ciuitas Epiſcopalis & vetus in Sialandia.

S.

Sala fluuius.
Sauus fluuius.
Schvveppermannus ciuis Norібergenſis præſtantiſſimus.
Sebaldus Heiden, Ludimagiſter Noribergenſis.
Sebaſtianus VVinshemius, Medicus & Mathematicus doctiſſimus: vir optimus & profeſſor Vitebergenſis.
Sequana, fluuius Galliæ.
Sicambri.
Sigiſmundus I. rex Poloniæ.
Simois, fluuius Aſiæ.
Simon Grynæus, profeſſor Baſilienſis.
Spira, Ciuitas Imperialis & Iuſticiæ Camera, ad littus Rheni.
Stauangrienſis Eccleſia in Nortuegia.
Suenones, Reges Daniæ.

T.

Tameſis, fluuius in Anglia.
Theodoſius Imperator.
Traianus Imperator.
Troia.
Tucherorum familia clariſſima apud Noribergenſes.
Tybris fluuius Italiæ.
Tygris fluuius.

V.

Valdemari, reges Daniæ.
Venetiæ.
Vernerus Mathematicus Noriberg.
Vienna, caput Ciuitatum Auſtriæ.
Virgilius Solis, pictor.
Vitebergenſis Academia.
Vitus Theodorus, Superintendens Noribergenſis.
Vitus VVinshemius Senior, Thucydideus, Medicus & profeſſor Vitebergenſis.
Vngaria.
Vratislauia, vrbs in Sileſia.
Vrsbergenſis, hiſtoricus clariſſimus.
VVeij, populi Italiæ.
VVormatia Ciuitas ad Rhenum.

FINIS.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 669 4° copy 2

C. ERASMI MICHAELII LAETI,

NORIBERGICORVM

LIBER PRIMVS.

Bellorum flammas et inania gentibus arma,
Exoſasq́; dijs vana in certamina rixas
Dū cumulāt alij, ſtudijsq́; ſequūtur; et atras
Multiplicant populis ingrata per oppida mortes:
Dumq́; manus gladio pars admouet altera; quidam
Hortando pugnant; & auent noua ſumina flammis
Ingerere, & tacitos inducere motibus ignes;
Effera conſilijs, ſed languida penè Gradiuo
Turba; nec effuſum ſatagens ſpectare cruorem.
Quin cùm multi etiam liuenti forſan ab Orco
Exciti patrias turbant clamoribus vrbes;
Ingenijsq́; nocent, furijsq́; agitantur apertis,
Et funeſta mouent famoſis iurgia ſcriptis:
Me diuerſa quidem rerum ſententia vatem

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 669 4° copy 2

Interea abſtulerit, factiſq; manentibus addat,
Ac vocet aonias meliora ad limina Muſas.
Etſi autem ingenio varias mihi numina curas
Subijciunt: latéq; faces mihi Phœbus Apollo
Quaſſat, & incenſos ad maxima promouet auſus:
Præcipuis tamen aucta bonis Noriberga volentem
Incitat: ac quantum eſt quo nos præſtamus, id omne
Ad ſe læta rapit, fructusq; excerpere geſtit.
Hanc igitur, ſi quid tam mitibus annuat ipſe
Iuppiter optatis, ſolers memoraro: ſimulq;
Pegnitij fontes cúrſusq; ac littora dicam.
Dij, quibus imperiũ & tantæ ſtant Vrbis honores:
Hoc deſiderium fauſto mihi ſidere natum
Perficite. è ſupero calor hic cum ſurgat Olympo,
Nequicquam humanis impletur viribus. idem
Qui mouet; is motos manifeſta in commoda ſenſus
Inferat, ac grato conſtent mihi fœnora verſu.
Haud ignoro quidem moliri me ardua. ſed quis
Maxima non etiam tentarit: dummodo cœli
Militet auſpicijs, æquoq; vtatur Olympo?
Et dignum ſuperis opus eſt; ac proxima Phœbo
Gloria; Virtutes quacunque in gente locoue

Emi-

Emineant, veris efferre ſub æthera formis
Spectandaſq; dare: & nuſquam quæ recta feruntur
Conſilio preſsiſſe tuo; lucemúe tenebris
Mergere, & obſcuras facibus præponere noctes.
Hanc Diui inſpirant mentem: atq; hæc pectora miro
Interdum genio ſtudijsq; ac robore firmant,
Ut magna aut tentent; aut maxima vincere poſsint.
Ardor at è ſuperis venit orbibus iſte: nec eſſe
Te clarum fortuna ſinit: ni fortè iuuêre
Numinis afflatu, cœlumq; in facta ſequare.
Cætera cuncta iacent fatis ſpoliata ſecundis,
Ponderibusq; oppreſſa ſuis: cum languida circum
Lumina victuris nequicquam aduoluere muſis
Atque inferre parant. medijs mors ipſa medullis
Hæret, & à primo cumulant ſibi funera partu.
Cum veluti fulcire domum, quæ victa ruinam
Spectat, & effractis lapſumq; necemq; minatur
Articulis; atque hanc aliquo fortaſſe laboras
Inſtaurare: licet ſubitos auertere caſus
Et proferre moram poſitis videare columnis:
Præſidium tamen arte paras imbelle. magiſq;
Quo moueas: tanto præſentes tute ruinas

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 669 4° copy 2

Moueris, atq; magis quæ ſunt nutantia frangas.
Intus enim vitium eſt; mediosq́; impacta ſub artus
Regnat acerba lues: cumq́; hiſce mederier optas,
Iam motu erumpit noxæ labor. Vnus & alter
Suſtineat fortaſſe dies: vbi fulcra reſcindas,
Corruit; ac ſtragen ſonitu teſtatur inani.
Sic quæ ſidereis ſubnixa fauoribus inter
Humanas veniunt monumenta recentia dextras;
Conſiſtunt durantq́;. velut cum ſaxea vento
Planè obluctatur; neque ſe fortiſsima turris
Euerti ſoluiue ſinit: rigidiſsima ſæuos
Ludit, & in vanum graſſari riſerit ignes.
Non igitur vates ex ſe ſibi fata morari
Aut ſtatuiſſe queunt. Deus eſt, qui ſemine Vates
Ducit ab æthereo; vitam largitur, & eſſe
Felices donat. quo demùm Vena modusq́;
Nobilior tribuente venit: partesq́; per omnes
It calor, ac Muſis ſolidum meditatur honorem.
In reliquìs vel frigus iners; vel vita ſtupeſcens
Viſitur, aut gelidæ vicina licentia morti.
Interea melior ſi quæ natura per artem
Incrementa capit: ſi quid parat vſus honeſti

Pro-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 669 4° copy 2

Profectus; Diuis ſuperoq́; ſacraueris orbi;
Et meritos cœlo ſua per veſtigia fructus
Reſtituas: laudesq́; bonos; & crimina culpes,
Quæ culpanda ſcias, virtutumq́; æmula noris.
Illa etenim incautos, & mitia pectora fallunt
Deteriùs; quàm quæ manifeſto prodiga facto
Nil celant, ſibi nec larua occultantur inani.
Pulcrius at nihil eſt, quàm quæ ſunt publica; quæq́;
Commoda vera ſient, exculto dicere poſſe
Eloquio. vincit ſuperas ea muſica voces
Sidereosq́; ſonos: vincit blandiſsima iuſti
Fœdera concentus: fidibusq́; æquata canoris
Exuperat: numerisq́; implet redeuntibus aures
Delectans; animosq́; trahens, quos imbuit alta
Cognitione: aliquidq́; boni poſt verba relinquit
Iudicijs. hæc illa ſacro eſt gratiſsima Phœbo
Et coniuncta Venus; quam ſi quis adeptus honeſtis
Aſpirat, rectè potis aſpirare; feretq́;
Præmia, quæ fas ſit virtuti præmia reddi.
Si cœlo placeas, nihil eſt cur eſſe timenda
Cætera monſtra putes. vincit, qui vincere Chriſto
Concertante velit, cui pectora quiſquis & omnem

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 669 4° copy 2

Subijciat mentem, rebusq́ operetur honeſtis;
Nil metuat, quocunque ferat fortuna laborem;
Contentusq́ ſua, lætusq́ hac ſorte quieſcat.
Sed calamis quò Muſa feror? Noriberga ſequentes
Implerit mihi culta manus; verſuq́ beato
Regnet, & æterna per me quoque laude fruatur.
Aſt ea res minimè tenui pulcerrima verſu
Exornanda fuit. maius fortaſſe requirat
Ingenium; vena quod diuite conſtet, & omnes
Implerit numeros totoq́ Helicone redundet.
Qualia nunc hominum ſtudia; & vis aurea paſſim
Ingenijs fœcunda viget: qua plurimus arte
Creſcit honos multis, curisq́ impendia reddit.
Et tamen egregios fructuq́ vſuq́ labores
Qui ſubeant; gratosq́ velint abrumpere ſomnos,
Et nihil inuidiæ ſcelerato dente moueri:
Vt paucos hercle inuenias; ſic illa ſequentes
Penè vides; quibus aut lucem prior addidit ætas:
Aut certi affulget ſpes verè ampliſsima lucri.
Aſt qui virtuti gratis hæc præconia reddat,
Hancq́ adeò ſeſe propter laudauerit; eſſe
Tu rarum plerunque putes: cùm quiſque ſequatur

Quod

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 669 4° copy 2

Quod iuuet, ac titulo nunquam moueatur inani.
Haud tamen iſta meos etiam ſententia vinclis
Implicuit ſenſus: nec me res improba Vatem
Abſtulerit: minus vt quæ ſunt rectiſſima laudem:
Et ſi quæ lucro fuerit fiducia, nuſquam
Spondeat eximios tanta ob certamina fructus.
Oderit ipſa licet mundi petulantia rectum,
Et quæcunque Dijs placeant iuſtiſſima, damnet:
Haud tamen officio cedendum eſt; quo minus iſtud
Aut calamis, aut voce probes, aut lege ſequaris.
Nunc igitur ne quid Noriberga ampliſſima triſti
Aſpicias vultu ſectantem magna Poëtam
Arctoum; molli quòd inundent carmina ſucco
Et ferat haud rigidos in grandia dicta cothurnos.
Non ea mens Læto quæ ſeſquipedalia iactet,
Quæúe proterua tonet. ſed ceu fortaſſe latentes
Horret aquis ſcopulos, refugitq́ carina labores:
Sic monſtroſa quidem & rerum ſuperantia formas
Verba cauet: ſtudioq́ legit quæ plana, nihilq́
Impediant animos; ſenſumúe obſcura retardent.
Grandia mirari non quoſdam neſcio. ſed me
Hæc facilis ſcriptura iuuat: qua maxima rerum

Ponde-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 669 4° copy 2

Pondera quiſq; capit; nuſquamq; excuſſus aberret,
Nec dubias verborum vmbras pro luce ſequatur.
Omnibus haud dat cuncta Deus. ſunt vina Falernis
Præcipua, ac mollem diues parat Anglia lanam.
India fert hebenum: Latijs ſua myrtus in oris
Creſcit; & autumno plenos alit vua racemos.
Germanis infracta fides. induſtria Gallis;
Audax Hiſpanis animus: ſua prima Quirino
Gloria, & humanos oſtendit Dania mores.
Sic ſua diuerſis ratio eſt non vna Poëtis
Nec modus vnus. habent diſiunctos flumina curſus.
Ambageſq; etiam oppoſitas plerunque ſequuntur
Ignotasq; vias; quanuis tamen omnibus vnus
Sit labor, Oceani ripis ſe immittere, qua ſe
Exonerent, latisq; ferant impendia regnis.
Haud aliter ſacram diuinæ Palladis arcem
Cùm multi affectent; ſtudio tamen ardua Vates
Culmina diſsimili, meritosq; ſequuntur honores.
Hinc alijs aliud natura arriſerit. iſte
Anxius ingenijs vigor eſt; & diſpare multum
Conditione coit. longis ſudoribus hic ſe
Conficit; vt prorſus macilentos languida verſus

Fundat,

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 669 4° copy 2

Fundat, & exili moueat ſe vena cruore.
Vberior dites huic ſpiritus aſſerit artus,
Et ſolidæ plus carnis habet. longè iſte meantes
Inducit flexus. tumido capit alter ab orſu
Principium, & grãdes fert in noua carmina pulpas.
Quid quoſdã memorem ceu delectarier amplo
Circuitu, ac ſpacijs diſtendere ſepta remotis
Verbaq́; complexu latiſsima fundere? vel quid
Strictius his plerunque iter & breuiora placere
Compita? quin alijs interdum prima putatur
Gloria; ſi obſcuris quæ ſunt clariſsima rerum
Senſibus inuoluant: petiturq́; ex lumine, denſis
Quæ rebus tenebras induxerit vmbra tenebris.
Aſt mihi non parili naturam Phœbus Apollo
Temperat ingenio. primùm quæ grãdia nuſquam
Sponte ſequor, ſed enim ſi quid mihi forſitan iſtæ
Æternæ ſuperum leges, & conſcia veri
Numina decernunt, totis cui vena medullis
Seruiat, ac iuſtos in carmina miſerit ignes:
Et ſi ſentit onus calami labor, eſſeq́; plenas
Ingenij vires, maioraq́; robora vellet:
Nil tamen auerſatus in hanc ego noſtra palæſtram

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 669 4° copy 2

Carbaſa diſtendi patior. mens æmula laudis
Vrget opus, facileſq́ adigit ſub lintea ventos.
Quin iam mite ſuis impoſta negocia cœlum
Promouet auſpicijs, non me ſuccumbere Diui,
Nec fortuna ſinit: varias Patientia clades
Vincit, & æthercam cumulant mihi ſidera laurum.
Tum verò ſtudijs quantum licet omnibus vnum
Adnitor; ne quid perplexæ forma loquelæ
Iudicio obſiſtat. volupè eſt mihi dulcibus vti
Perſpicuiſq́ Deis; Muſaſq́ in aperta ſequentes
Ducere; vbi obſcuro nuſquam locus. iſtud honoris
Intulit ingenio Pallaſq́ ac Delia noſtro.
Non mihi figendis ſtudeant hæc pectora Ceruis;
Nec nemorum cingam leuibus iuga celſa moloſsis:
Quæ mihi vita quidem ſectanti læta Mineruæ
Caſtra, quòd accitæ multum feritatis haberet,
Diſplicuit. ſed quòd curis operumq́ labore
Perficiam; vt molli veniat mihi verſus ab vſu,
Et quocunque vocem dulcis me vena ſequatur.
Hæc mihi dexteritas cœlo venit aucta parente,
Qui curam ingenio ſic temperat; vt mihi primùm
Scribenti faciles perſtent in carmina Muſæ,

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 669 4° copy 2

Et læto ſubeant in magna negocia vultu.
Tum quòd iudicio mediocri excellere Phœbus
Et præſtare dedit: quo quæ ſunt ſcripta, bilance
Haud dubia expendam: obſcurisq́ inducere lucem,
Planiciem ſcabris, languentibus addere curſum,
Aut nimium properis frænos immittere poßim.
Hæc noua vis animi eſt non omnibus æqua. proinde
Haud auerſari Lætum Noriberga Poëtam
Culta velis. habet aſperitas quos anxia Vates
Nobilitet. plano conſtant mihi carmina ductu,
Et Venus æternos mihi ſoſpitat aurea verſus.
Sollicito interea dum ſector acumine rerum
Pondera magnarum, ſtructamq́ laboribus vrbem,
Verſibus amplector, populisq́ encomia reddo;
Pierius mentem ſtimulat calor: eſſeq́ vatem
Cogit, & Aonijs numerum cumulare Poëtis.
Dij faciant; vt ſi non omnia, maxima ſaltem
Ornare, & rerum faſtigia prendere poßim
Præcipuasq́ amplecti operas; Reſpublica quo ſe
Munere dilatet, famam & virtute probarit.
Tu verò noſtris fauſtum diuine Senatus
Auſpicijs deferre pedem; factoq́ benigna

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 669 4° copy 2

Plaudere fronte velis. Tu maxima carminis huius
Pars & meta ſies. tibi venerit omnis & omnis
Gloria. te ſaluo Reſpublica durat, & eſſe
Siue animi ſtudijs, ſeu rerum pondere felix
Et tranquilla poteſt. placeant tibi noſtra, ſimulq́;
His læto præſtes exordia commoda vultu.
Ergo vbi iam tenui ſupera in faſtigia curſu
Pegnitius ſeſe inſinuat; primisq́; perennes
Fontibus extrudit cumulatq́; in flumina limphas:
Protinus auſpicijs ortum cœleſtibus auget,
Et ſibi ſe propellit; aquasq́; in aperta ſuburgens
Littora deducit ſubitisq́; immittit arenis.
Cum pariter medio ſacratæ in gurgite nymphæ
Ludentes coëunt, ſuperum pars maxima: ſi, quæ
Fluminibus præſunt, ſuperum pars eſſe putanda eſt.
Vt tamen & leuibus pinarum frondibus vna
Conſtitit, hac reliquas affata eſt voce ſorores
Incepitq́; loqui. Nympharum ego maxima veſtri
Iuris ero; mihi, quæ libeat feciſſe, licebit:
Si coniectura, quæ nunc ego mente reuoluo,
Aſſequi, & occultos in aperta reducere ſenſus
Poſsitis. Dixit Stenole. cui proxima lato

Remi-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 669 4° copy 2

Remigio manuum Cleomene exercita pulcros
Extulit in cœli rutilantia mœnia vultus,
Et ſimul. O ſacri cuſtosq́; & gloria fontis
Pegnitij; generis noſtri pulcerrima: quid nos
Forſitan eſſe Deas, cœloq́; parente negabis?
Ignoret mortale genus ſecreta. latebras
Non animi ingredimur; coopertaq́; pãdimus: & res
Euentu, natæ qua ſimus origine conſtat.
Scilicet hoc tacita verſas ſub mente, fluentes
Impelli quò læta velis è gurgite lymphas,
Et primas aperire vias; curſuq́; ſecundo
Labier, ac patulos in littora mittere flexus.
Cauſam autem, quæ te dubiam iuſtiſsima reddit,
Cernimus hanc: noſtris quòd fortia mœnia ripis,
Et populos fortes, & celſa palatia quondam
Exoritura vides. quibus aſt hæc gentibus eſſe
Munera larga velis, non dum tibi conſtet; alasq́;
Pectoribus curas; conceptaq́; proxima damnes.
Cum Stenole: & noſtri iam pectoris abdita vero
Lumine prenſa tenes. Vnum minus æqua profaris
Hoc tamen; ignaram, quòd cum ſim diua putaris
Eſſe etiam rerum; ſeris quæ fortè ſub annis

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 669 4° copy 2

Eueniant; quocunque velim deducier iſtas,
Quas modo diffundam ſubiecta in paſcua lymphas.
Et tamen, vt verum fatear, tibi neſcio cur non
Concedam. Vſque adeò nunc his, nunc gentibus iſtis
Mens fauet, ac curas circum mihi pectora gignit.
Dixerat. actutum celeres accurrere Nymphas
Vinclaq́; iam victæ ſubtendere dura videres:
Cum celer impulſu Stenole ſe ſuſcitat. & iam
Parcite, ait: neque me violarint numina ſacri
Cuſtodem fontis, iusq́; in mea regna ferentem.
Victam me fateor. ſed enim quia victa, proinde
Non etiam mittant ſcelerata in vincla Sorores,
Et labem imperio cumulent. mihi ſceptra diesq́;
Eſſe etiam tutos regni dedit autor: ab illo
Contineat feritas truculentas lubrica dextras.
Quin, quanquam fuerit libertas maior agendo
Dicendoúe; tamen nocuas icćirco Sororum
Eſſe manus nollem, turbataúe fœdera dici.
Et decus eſt faciles ſubmittere legibus iras;
Ac quæ iure quidem poteris fortaſſe videri
Tentare; haud toto tentes tamen aſſe: relinquas
Quiddam etiam; vt fragiles ſolidet cõcordia neruos.

Prin-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 669 4° copy 2

Principibus ſi quæ aſperitas nocuiſſe feratur,
Nec felix vnquam fuit: & perſæpè Nepoti
Intulit, horrendo quæ vulnera perferat, enſe.
Eſſe Magiſtratum, Deus eſt. Violaris Olympum
Si violas Regem: patientia creuerit; & ius
Creuerit, ac merita redeant tibi præmia lance,
Hoc tamen & noxam ſtudio, ratione modoq́;
Euentuq́; luam: quòd quos mea littora Ciues
Incolere, & propter gelidas prætendere ripas
Fata dabunt; veſtri ſtudioſos eſſe futuros
Pollicear; ſacrasq́; ferant in ſidera Nymphas:
Et me perpetui cuſtodem fontis honorent.
Interea mecum ſuperosq́; Deosq́; ſecundas
Poſcite congeries, fluuioq́; augenda futuro
Pondera lympharum. tu maxime Iuppiter vndas
Suffice venturis pater, & da fontibus eſſe
Perpetuas: aperiq́; iter ac decliuia monſtra
Quà ſe fundat aqua, & curſum molita ſequatur.
Sic dixit. magnis aſſenſibus æthera complent
Numina. Tum Stenole patefacto carcere lymphas
Ire dedit; laxatq́; manu cita clauſtra; ruentes
Cum monet. Ite ſacris monumenta obnoxia Muſis

Et

Et celeres proferte gradus: nuſquamq́ morari
Aut ceßiſſe loco, & flexus cohibere velitis.
Fata viam inuenient librato vbi gurgite totos
Expedias curſus; teq́ in tua littora cogas
Celſaq́ porrectæ vitaris acumina terræ.
Nec mora, Pegnitij cum fons exundat; & altas
Euomit acer aquas ſubtusq; in deuia tendit.
Fit via vi, cannæq́ leues atque humida latè
Cedit arundo; imasq́ petunt noua littora valles
Mercurio ducente: Deûm qui miſſus ab aula
Nuncius, hanc Nymphis operam preſtare; Iouiq́
Hanc magnæ partem, telluris ab vbere ſubdit,
Neptuno blanditus: in hæc cui iura tridentem
Sors dedit, ac liquido iußit dominarier orbi.
Aſtitit & nitido prouectus in æthera curru
Phœbus: & vt medias inter ſibi carpere valles
Cernit iter, tali fluuium eſt affatus ab ore
Pegnitium. tenui viſure ingentia riuo,
Labere. fœlici tibi creuerit vnda meatu,
Et ſtatuas ſolidos fatale in littus honores.
Non ego iam Regi fluuiorum defero ſummas
Eridano partes. inerit ſua gloria paruis

Fon-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 669 4° copy 2

Fontibus, & virides feret in noua culmina lauros.
Dij tibi propitios ventura in robora vultus
Decernant; magnoq́; velint tibi littora fructu
Tendier, ac fortes voluendo incingere gentes.
Quin quocunque mees protruſaq́; cornua flectas,
Ipſe ſequar: facilesq́; dabunt tibi ſidera lapſus,
Claraq́; magnificis ſurgent tibi culmina muris.
Sic medio Phœbus cum conſtitit æthere vocem
Finijt. Interea properans iter omne ſubegit
Tranſmiſitq́; ruens: patuloq́; repulſus ab Auſtro
Proſpicit in Boream fluuius, geminasq́; ſub Arctos
Tendit, & in ſeptem flectit noua lora Triones.
Vtq; vias curuo permenſus gurgite latè
Creuerat: Ecce citis Notio delapſus ab orbe
Regnitius, tenui celerans ſe paßibus infert
Pegnitio: geminisq́; ſtatim coit amnibus vnus
Alueus, ac ſocijs coaleſcunt flumina ripis.
Scilicet hic ſuperis labor eſt & cura Tonanti;
Vt quæ ſparſa locis oriuntur plurima, cogant
In fœdus, iunctoq́; ſinant conſiſtere nexu,
Et benè communes inter ſe vertere ſortes.
Sic varijs conſtat populis Reſpublica; quorum

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 669 4° copy 2

Alter ab Heſperijs: at venerit alter Eois
Gentibus; & notios capiunt Borealia ciues.
Inclyta coniugio ſic conſtant vincula: ſponſam
Hæc gignat cum terra; alio ſed ſponſus ab orbe
Adſit; & ignotos iungant in fœdera mores.
Aut ego quid Sauum Drauumúe; quid aurea dicã
Flumina, Dannubio quæ cum miſcentur, in vnum
Conſpirant tractum ſolidoq́ue feruntur in amne;
Euxinum donec ſubeant mare. Sala ſub Albim
Condit iter. Rheno celeres Moſella fluenti
Miſcet aquas. ſua ſunt naturæ vincla, quibus ſe
Copulat, ac forti ſtringit coëuntia neruo.
Iamq́ue iter extenſo paulatim flumina riuo
Iuncta legunt; plenoq́ue tumeſcere gurgite ripas
Lympharum pro mole iubent: cum tota coacto
Agmine prorumpunt; fluuijsq́ue ſonantibus altè
Præcipitant curſus: oculisq́ue ac deniq́ue toto
Corpore veſtigant vbi ſeſe effundere poſsint,
Et cumulare nouos in lucra ſequentia motus.
Sic bona ſunt quæcunque, bonis ſe adiungere certant,
Mutuaq́ue vtilibus duplicarint commoda rebus.
Forſitan id natura etiam ſuadente; minores

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 669 4° copy 2

Vt ſeſe magnis immittant amnibus amnes
Tantiſper; vaſto donec ſub gurgite latum
Oceani regnum cumulatis fluctibus intrent,
Inq́; ſuos iterum redeant cita flumina fontes.
Quin ſua non tantùm venienti littora ſubdit
Regnitio: titulos etiam nomenq́; ſecundum
Induit, ac gemina coaleſcit mole; manetq́;
Poſterius ſolido iunctis ſub gurgite; claram
Interea dum cæca legens veſtigia fundo
Bambergam accedat: propterq́; ea mœnia ripas
Explicet, ac placido luſtret vetera atria vultu.
Hæc vrbs ingenti iam pridem laude minores
Cùm ſuperet, latè famam promouit, & auxit
Relliquijs Henrice tuis; qui ſceptra gerebas
Auſonios inter gratus pietate Monarchas.
Sed non Cæſareo tanta eſt Bamberga ſepulcro
Structuræq́; opibus: quanta eſt, ſemperq́; futura eſt
Ingenio Ioachime tuo; qui natus in vrbe
Hac patria, imperij ſumma velut arce Camœnas
A primo ſic flore colis; ſic caſtra frequentas
Muſarum; vt nulli veterum ceßiſſe; nihilq́;
Quod doctum deceat, potes ignoraſſe videri.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 669 4° copy 2

E Camera priſcum venit tibi nomen; auito
Haud dubiè officio gentile parentibus: vt qui
Grata miniſterij referant hæc præmia veſtri,
Virtutis precium, & fidei monumenta vetuſtæ.
Aſt illud fatale tibi fortaſſè volebant
Numina firmari ſeriſq́ue Nepotibus eſſe,
Qui Camera ipſe ſies & honeſtis vera Camœnis
Gloria. non temerè ludit ſors. arbiter orbis
Atque auctor, ſoboles ſummi patris, ille redemptor
Humani generis, noſtra & poſſeſsio Chriſtus
Prouidet vtiliter: cumq́ue omnia clara ſecundat,
Duxerit è cœlo quos vera in commoda mittat.
Nec tali Bamberga tamen iactarit alumno
Se tantùm: quid ſi felicibus aurea fatis
Creuerit; hoc etiam quòd præceptore fruatur
Lipſia, Miſnenſes inter cultiſsima ciues,
Et ſtudijs ſpectanda bonis: quæ voce ſtyloq́ue
Promouet, ac totum ſpargit Ioachimus in orbem?
Quicquid habet Latium, veteriſq́ue ſcientia mundi;
Græcia quicquid habet, vel habent ſecreta Pelaſgi
Abſtruſis perplexa vijs formaúe loquendi;
Huic notum eſt. quo non alium reor eſſe, minore

Qui Argolicos ſudore legat. Sic omnibus illum
Græcia perfectum numeris agnoſcit; habetq́;
Hac re cui meritam tribuat Germania laudem.
Nec tamen hæc aſſentandi ſtudioúe modoúe
Intulerim. non me furijs Colacia ſiniſtris
Edita, monſtrorum nunc multo ampliſsima, Vatem
Fregerit. aſt virtus quòd me & Conſtantia tanti
Mouerit vna viri; non me meminiſſe pigebit
Illius: vtcunque hæc meritis non æqua, ſub alto
Pondere ſubſidant: habeatq́; is maxima vitæ
Præmia; cùm vera ſolidus virtute feratur,
Atque æui curſum moderato colligat vſu.
Interea ſedenim cumulatis auctior vndis
Regnitius muros Bambergæ & culmina linquit,
Metiturq́; vias, lateq́; extrudit aquarum
Congeriem: ſubitò cum præteruectus ab ortu,
In Caurum Mœnus ſinuoſo gurgite tendit,
Incertosq́; vado molitur in æquora flexus;
Piniferi montis ſoboles: cui ditia fatum
Mœnia tranſire & curſus dedit eſſe perhennes.
Huic ſe Regnitius, ne quid fortaſsè vagetur
Longiùs, aut tenui laſſet caua littora pulſu,

Coniungit; lateriq; infert ſua regna ſiniſtro;
Nominibusq; coit, ripasq; meantibus auget.
At tumidus quamuis lateq; excurrat & erret
Mœnus; & incertos duplicet redeundo labores;
Nunc has nunc illas perplexo tramite gentes
Inuiſens: vno tamen omnes vndiq; riuos
Littore complexus, veteres abolendo relinquit
Lympharum titulos: & ſe ſibi plurimus vndis
Explicat, ac diti conſtant ſua nomina Mœno:
Donec & ipſe etiam diuino peruia Rheno
Ingerat; ac dextris immiſerit oſtia ripis.
Salue Pierijs ſemper memorande Camœnis
Rhene pater quacunq; vias; quacunq; meatus
Veſtiges curſu; teq; in tua littora voluas.
Labere cura Dijs vera immortalibus; & te
Aſſere limitibus: quantumq; inſurgis in vndas
Ponderibusq; tumes; tantum properando liquentis
Oceani regnum, ſubiectaq; mœnia ponto
Et diſtenta petas. cumq; haud capit alueus omnes
Vnus aquas, duplici patefeceris oſtia riuo,
Exoneresq; tuos geminata in cornua lapſus.
Scilicet hæc diuis ſuperoq; potentia cœlo

Durat;

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 669 4° copy 2

Durat; vt æternis redeuntia flumina ripis
Reſtituant: quantumq́; excedunt gurgite; tantum
Fontibus aucta nouas in viſcera hiantia lymphas
Sufficiant: ſemperq́; fluant, quia ſemper inundant.
Aut cui propitios ita pandunt numina vultus
Cuiùe adeò indulgent animorum motibus; omnes
Vt fluuiorum ortus, cauſasq́; & littora verſu
Explicet, ac tantos in carmina miſerit vſus?
Non ea mortalis ſtudij eſt, non certa facultas,
Nec vis Ingenij: tantos & prendere motus
Et proferre queat. cæcis effuſa cauernis
Vt fluit, in cæcos ita res ea ſæpiùs auſus
Incidit, ac animis plerunque tumentibus hæſit
Nil comperta. ſed eſt, quo ſe excuſauerit omnis
Ingenij feruor ſtudijq́; induſtria noſtri:
Quòd prendi nequeat rei modus. illud ineptè
Nam dictum conſtat, fluuios ex aëre naſci,
Cum loca prima ſubit, gelidis vbi protinus antris
Cogitur in Lymphas; iugiq́; liquentia gignat
Flumina ab acceſſu, cumuletq́; ea ſemina creber
Spiritus, abſtruſos ſinuans ſe in gurgitis orſus:
Sic Aqua nil aliud fuerit, quàm craſſior Aër

Cum

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 669 4° copy 2

Cum denſas ſubijt partes: gelidoq́ coactus
Frigore perpetuos ſupera in faſtigia fluxus
Ingerat, ac plena ſauces ſcaturigine pandat.
Quæ ratio quantum dementet pectora; iam nunc
Diſpiceas. numeris Elementum exceſſerit: æquor
Quæ capit, haud etiam verè capit. omnia tantùm
Sunt vnum, & ſacris ſua ſunt mendacia ſcriptis:
Quæ manifeſta quidem fluuios ex æquore ferri
Aſſerere, & tantos ſatagunt hinc ducere motus;
Miracliq́ inſtar Mare non excreſcere, narrant.
Sed nihil iſta quidem iam perſequor. Vtilitates
Quas fluuij gignunt, non pronum eſt dicere. vel quis
Danubij tractus, quis clari maxima Nili
Commoda rettulerit? quo Ganges gurgite: quo ſe
Alueo agit Rhodanus? quoúe impete Sequana pergit,
Quo Tygris curſu; quo Euphrates littore: vel quo
Noſter in Eoos Gudius ſeſe incitat æſtus,
Et ripas inter ſe voluit in æquora motu?
Illa equidem vaſtis ſe flumina lapſibus omni
Præcipitant impulſa gradu; lateq́ ruentes
Effundunt lymphas, pontumq́ fluentia complent:
Inclyta non motu tantùm, ſed Maxima motus

Cauſa;

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 669 4° copy 2

Cauſa; atque æternæ ſcaturiginis aucta recurſu.
Quam nos hîc etiam nil rem tractamus. at vnum
Interea eſt, verè quod dixeris: omnibus inde
Præcipuis cauſam penè vrbibus eſſe; locari
Quòd fluuios iuxta ac protendi Mœnia poſſent:
Commoda quæ humanis afferrent gentibus, & rem
Augerent vſu, lucrumq́ è flumine gignant.
Huc ratibus Lintriq́ via eſt; huc maxima lignis
Et congeſta ſtrues creberrima penè ſecundo
Defluit amne: huc aduerſas agit æmula merces
Sæpè manus, dum obnixa leues in flumina puppes
Cogit, & obſtantes ſuperat conamine fluctus.
Quin ſua multiplici Piſcatio creuerit arte,
Squammigerosq́ legit retiq́ & fune natantes:
Quos menſæ intulerit; victusq́ in præmia mittat.
Tum verò ingratas facili purgamine ſordes
Tollier inde vides: vbi ſe defluxus aquarum
Vltrò agit, ac medias interdum perluit vrbes:
Interdum iuxta diductos gurgite muros
Labitur, ac celeri ſecum rapit obuia curſu.
Sanè ea mutandis loca mercibus æqua videri
Cenſeriq́ velis. ceu non obnoxia morbis

Dixerim: vt huc raræ peſtis contagia ſpargi:
Ni cauſa ex alio velut ordine mota, ſequenti
Aſpiret damno; ſemenq́ue è ſemine labi
Attrahat, ac lentas adducat in oppida mortes.
Nos ipſi inficimus ſic ſæpiùs aëra; ne quid
Purior eſſe queat: iugi licet aurea motu
Flumina peſtiferos halitus & triſtia purgent
Purgandoq́ue adeò tollant ſpiramina. vel cur
Non etiam extulerit Romana palatia Tybris,
Euphrates Babylona vehat? Simoëntis ad vndas
Troia fuit: ceu iam Rhodano vicina tuetur
Mœnia Lugdunum. Scaldas Antuerpia ripas
Occupat, ac Tameſim Londinum ſpectat in amnem.
Quo ſe more etiam Randruſî plurima noſtri
Ad Gudium latè facies diffundit; & inter
Diſtentas fluuio ripas ſua commoda ſolers
Contrahit, ac celebri lympharum gurgite regnat.
Sed nihil iſta quidem iam longiùs explico. conſtat
Fluminibus varios adiunctos eſſe bonorum
Prouentus: ſeu detulerint fortaſsis in vrbes
Commoda; quæ externis ſubeuntia gentibus iſtic
Exponi fas ſit. ſeu ripis plurima gignant

Quæ

Quæ ſua ſint proprijs ceu lucra domeſtica regnis.
Qualia nunc etiam Rhenus non pauca propinquis
Coniunctisq́; adeò populis commercia lætis
Auget aquis; variasq́; inter delapſus arenas
Multiplicat gratas vicina per oppida ſortes.
Nec tamen hæc ſoli fortuna eſt maxima Rheno
Vſibus vt ſuperet: Nicrum ſpectato Lycumq́;
Inde equidem Alpinis dilapſum montibus. aut quas
Iſte etiam tantis cernit procurſibus Vrbes,
Interea ſe Dannubio dum condat; eiq́;
Intulerit caput, & geminas permiſceat vndas
Approperans? videt ille quidem præclara: ſuisq́;
Semper habenda locis cultiſsima mœnia: ſummas
Vna Auguſta tamen partes tulit; omnibus vna
Cum numeris certè quæ ſunt ampliſsima vincat.
Illa equidem Aonijs ſemper domus aurea Muſis
Et ſacris tutela Deis, inſcripta Mineruæ
Nomina clara gerit: quæ, quantũ excreſcere muros
Firmariq́; ſtatus tribuit Conſtantia; facto
Maxima conſtiterint, laudemq́; in præmia ducant.
Fuggerus hanc tantis auctam rationibus vrbi
Conciliat; ſacris dum ſpemq́; & ſumma Camœnis

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 669 4° copy 2

Præſidia oſtendit; rerumq́ & honoris abundans
Hoc agit, vt Phœbo ſit pars gratiſſima noſtro
Sit columen patriæq́ decus, ſit vita Poëtis:
Iuſtaq́ Pegaſeis ſit fama & gloria Muſis.
Sed nihil iſta ſequar. rapido ſua littora Rheno
Et curſum vaſtos inter dant prendere montes
Et populum virtute iuuant: placidosq́ piosq́
Extulerint mores, humanaq́ pectora monſtrant.
Adde quòd & circùm Baccho fortuna corymbos
Atq́ vuas pendere dedit: quibus optima menſis
Vina, racemiferis veniunt expreſſa corymbis.
Aut ego quid cultas, vel Palladis artibus vrbes,
Vel virtute canam? iam fama eſt cognita quantum
Ingenijs Baſilea poteſt. cui Phœbus Apollo
Et ſtudijs ſuperare; & honeſto vincere curſu
Largitus, nihil eximios quod præſtet in vſus:
Nec quod vera etiam dignum ſit laude, negauit.
Credo ego cœlitibus rem decernentibus olim
Mœnia nata; bonosq́ adeò communia vitæ
Fœdera conſtituiſſe viros: qui iusq́ piumq́
Fas æuo inferrent; poſitisq́ è legibus vrbes
Et regerent miti faciles virtute colonos.

Non

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 669 4° copy 2

Non opis id noſtræ eſt manſuros cogere cœtus,
Qui parere velint; monitiſue ſubeſſe; feriſq;
Libera nonnunquam ſubmittere pectora vinclis.
Res ea fonte alio, atq; alijs ſubnixa columnis
Eminet. æthereo conſtant diuturna parente;
Et quæ pulcra, Dijs authoribus edita certum eſt.
Hinc merces igitur, pinnæ, reſpublica, muri,
Pondera, iura, forum, commercia, fœdera, portæ
Et vallum & foſſæ, & prætoria celſa; Dijſq;
Condita Templa: quibus meritos adolemus honores;
Iuſtaq; propitio cumulamus vota parenti.
Vtq; aliàs aliud ſileam: Schola ſola minores
Admoneat, quantum populis decus intulit; artes
Humanas noſtrum primus qui ſparſit in orbem,
Sacrauitq; locis: vbi læta frequentia Muſas
Et colat; & vero vitæ ſectetur ab vſu.
Non ea pro meritis celebrari gloria iuſtis
Cantariúe poteſt. facile eſt, ſi dextra ſequantur
Numina; quæ magnis fuerint æqualia votis
Perficere; & longos inducere rebus honores.
Hac igitur cœli coëunt bonitate, Deumq;
Auſpicijs; quæcunque quidem mortalia veris

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 669 4° copy 2

Fructibus acta beent. Studijs Baſilea ſecundis
Optatisq́; viget: lætæ cui maxima rectum
Præmia decernit: dum libertate ſuoq́;
Otio, & aurifero potiantur mœnia Rheno.
Quin cineres etiam magni cum ſeruet Eraſmi
Et pia membra tegat: Cumq́; arte excellat & vſu
Multiplici ſacros Authorum ſcripta labores
Excudendi; equidem toti iam cognita mundo
Exuperat fama. Sed enim profitentibus artes
Ingenuas celeber locus eſt: & honeſta Lycæis
Gloria ſuccreuit: latè quæ prodita noſtras
Attigit has etiam Borealia climata terras;
Et ſtudij laudem geminas promouit in Arctos.
Sanè Vrbem florere bonis & Ciuibus; & re
Lauta etiam vellem. fuerit quanquam illa moranti
Horridior Læto: quo mecum tempore coniunx
Vixit; & his fato metam contraxit in oris,
Quo mox extincta eſt Francforti: vbi littora Mœnus
Explicat, ac geminas hinc atq; hinc reſpicit vrbes.
Et nunc illa quidem Chriſto coniuncta beatos
Eſt exorſa dies; ſceleris puriſsima, veræ
Virtutis lumen: cui nec fortuna tenebras

Sæuior

Sæuior obiecit: neque mollior intulit atros
Ingenij faſtus; animumúe ſuperbia ſtrauit:
Vt moderata nihil ſibi conſectanda putarit.
Me verò interea quamcunque æquiſsima ſortem
Numina ferre dabunt: quacunq; in gente morab
Pergratæ memorem me conſuetudinis eſſe
Senſerit ipſe etiam, qui Spiritus aurea ſentit
Officia; & noſtris pars eſt æterna Camœnis.
Illa equidem veræ ſpeculum pietatis & omnis
Virtutis cuſtos ita me moritura relinquit:
Vt nihil interea ceſſauerit iſta parenti
Pro me vota Deo iunctis ita fundere palmis:
Vt planè experiat valuiſſe ea vota: nihilq́;
Iam dubitem noſtris hanc iunctam ita ſortibus eſſe;
Vt meme aſpiciat, noſq́; ad maiora ſequatur.
Vna dolori animum res ſubijcit: illius haud me
Curam egiſſe, die quo buſto inferret amœni
Corporis exuuias. aberam procul, iſta ſecutus
Quæ nos ingrato ſpectabant pectora vultu:
Ingratoſq́; adeò præbere immania rictus.
Nautica nam Venetis cum defero noſtra; Maritã
Interea amitto: ſolatia nulla Cyclopes,

Præmia

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 669 4° copy 2

Præmia nulla meis æquata laboribus addunt.
Aſt ea ſunt alijs pingenda coloribus. hîc iam
Noſtra ſequar, placidoq́ꝫ canā ſua ſplendida Rheno
Littora, & in molles inducam Mœnia verſus.
Quin ſua Strasburgo ſeros motura Nepotes
Gloria iam latis diducta eſt fructibus. aut quæ
Prima canam? certè moderatis Ciuibus vrbem
Et magnis reor inſtructam virtutibus; vni
Cui ſua Libertas ita curæ eſt denique; nil vt
Admittat prorſus, quod Seruos reddat. honeſto
Maiorum ritu populis ſua iura viceſq́ꝫ
Perficit, ac veteri rem more adnixa tuetur.
Tum verò Aonijs precium dignata Camœnis
Cum ſtatuit, facileſq́ꝫ infert ſub pectora Muſas:
Sanè equidem famæ ſic creſcit honoribus, vt iam
Strasburgo ſolidæ veniant in præmia laudes,
Magnificaſq́ꝫ inter primas gerat auctior vrbes.
Denique ſi reliquis ſint iuſta ſilentia, nónne
Sturmius ingenij cultuq́ꝫ ac vbere rerum
Cognitione vnus cunctos penè inter, & illos
Eximios claroſq́ꝫ viros, hunc vrbis honorem
Proferat, ac grato det famam excreſcere fructu?

Hunc

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 669 4° copy 2

Hunc equidem ornandis genitũ reor artibus: vt qui
Et latè ſuperat ſtudijs; & plurimus vſu
Pollet, & excultis æquat Romana pelaſgis.
Hac igitur pridem ſuperat iam laude Joannes
Et nitet, Egregioſq́; inter rerumq́; peritos
Sic nomen gerit: vt dignos ſolertia fructus
Occupet, ac multo virtus cumuletur honore.
Diſcipuli teſtantur eam quæ iuſta docendo
Impenſa eſt operam: at ſtudio Reſpublica latè
Clareſcit, variasq́; inter ſtat celſior vrbes;
Aucta virûm numero, magna qui laude Camœnis
Et lucem, & vires, & nomina condere poſſunt.
Nec ſanè obſcurum eſt Beuthero plurima noſtro
Præſidia eſſe; quibus Doctrinæ ſedulus omnes
Promoueat curſus; vrbiq́; encomia iuſtis
Auxerit officijs: dum geſta antiqua recensq́;
Edita, multiplici trahit in compendia fructu
Et multam hiſtorijs infercit acumine lucem.
Aut quid Obertum etiam Iuris legumq́; peritum
Muſa ſiles? nónne Auſonijs ita Græca Latinis
Iunxerit: vt merito ſit clarus honore, geratq́;
Hanc inter doctos ceu præmia maxima laudem?

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 669 4° copy 2

Quæ viuat, magniſq; ferat dicenda Poëtis?
  Iam ſua fama etiam eſt Erythræo maior; in illam
Quàm tenebræ quicquã, quàm linguæ iniuria poſſit;
Dum Latios penſat numeros; dum ſcripta vetuſti
Aſſerit Eloquij, Romanaq; iura reducit
Reſtituitq; Oratori, quem format honeſtis
Artibus, ac grato verborum lumine fulcit.
  Hic Daſypodius formam cœleſtis Olympi
Explicat egregijs dexter rationibus, acri
Subnixus ſtudio dum Græcis noſtra politè
Copulat, ac patrias virtutibus excolit artes.
Aut ego quid reliquos memorem? Sanè arbitror hiſce
Iam nihil eſſe viris vel cultius arte, vel omni
Doctrina maius. Quin Diſciplina Magiſtris
Jam latè nomen peperit: cum quiſque ſequatur
Officio laudem, quam virtus vera fidesq;
Reddat; & in meritos ſuccreſcere donet honores.
  Aſt Argentinam cum tute reliqueris Vrbem;
Seu fluuio libeat Rheno deſcendere: ſeu te
Oblectet fortaſſe magis pulcerrima tellus
Quæ vario circum veſtitur gramine: Spiram
Protinus apprendes: Nemetum quæ priſca ferebat

Vrbs

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 669 4° copy 2

Vrbs populos, Ducibusq; adeò ſpectata Latinis
Increuit bellis famamq; frequentibus auxit.
Valdè autem humanis gens moribus vtitur. hic iam
Juſticiæ portum Imperium decreuit: vbi omnis
Diſsidij ratio, iuris ceu lumine tolli
Poſsit; & auerſas reuocet concordia mentes;
Quas pridem impulſas contentio cæca diremit:
Funeſtasq; dedit ſub pectora ſerpere lites.
Sanè equidem hæc Spiræ laus magna eſt Vrbis. ab illa
Vangionum ſeſe intulerit Vormacia, multis
Cognita priſcorum ſtudijs ſedesq; locusq;,
Qui latè ſparſis certamina fortibus altæ
Virtutis monumenta mouet: quo tempore Gotthis
Imperij res prima fuit; lateq; Gygantum
Fama per Auſonias ſeſe extulit inclyta gentes.
Hic ſua Chremyldi victoria conſtitit, vna
Conſilio pugiles quæ fœdè obtriuit, eosq;
Fraudibus illectos ſubuertit fraudibus. aſtu
Gloria fœmineo tandem eſt exciſa, ruitq;
Noſtrorum genus & veterum ſtirps clara parentũ.
Inde iter eſt fluuio, donec Moguncia ſeſe
Vicinis Rheno muris, ripisq; ſiniſtris

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 669 4° copy 2

Pandat, ineſt vrbi facies gratiſsima, qua ſe
Ædibus euulgat: qua læti plurima victus
Munera diducit, faciliq; obſonia diſco
Præſtat, & annonæ pretium tolerabile figit.
Hinc curſu liceat molli deſcendere. turris
Inter aquas mox ſe medias oſtendit, vbi ingens
Miraclum veteri notum rumore peractum eſt
Interitu ſcelerate tuo, qui muribus iſtic
Hatto peris: dum te diuina potentia pœnis
Implicat: ac ſeros docet iſta cauere Nepotes
Quæ nunc immani te funere crimina perdunt.
Mox curſu & celeri ſe gurgite flumen inurget
Aërios inter montes, interq; profundum
Spectantes arces ingentia murmura verſans:
Cum ſeſe intulerit Cobulentia mollis, vbi vndas
Permiſcet Rheno Moſella & plurimus acri
Confluit impulſu, lapſumq; acceſsibus vrget.
Hinc tandem ſe aperit, primas cui fata tueri
Et multo proferre dabant conamine gratas
Inter Rheni vrbes: quæ nota Colonia latè
Exerit ingentes pulcerrima culmina muros,
Inſignesq; domos; veterumq; palatia regum,

Templaq;

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 669 4° copy 2

Templaq́, & æternæ conſtructa ea mœnia laudi.
Hic ſedem Phœbus delegit Apollo Camœnis
Præcipuamq́ aptamq́ Deis: cui quicquid honoris
Eximijq́ operis ſtudijs eſt Pallas adepta
Perpetuis, claræ veluti donauit alumnæ
Et florere ſacris eſt iuſſa Colonia muſis.
Poſtea Rhenus iter molitus in vltima tendit
Oſtia; qua triplici ſe infundit in æquora cornu
Fluctiſonumq́ ſubit diuino gurgite pontum.
Hæc ſua Pegnitio meta eſt; hîc deficit. aſt quas
Interea proprio dum nomine permeat vrbes
Et quæ tecta videt: quæ primis obuia cernit
Culmina littoribus, venturi maxima Vates
Extulerint. nobis equidem Noriberga dediſſet
Materiem; nobis ſi Phœbus Apollo dediſſet
Ingenium: ſolido quod tantas robore moles
Suſtineat: tantumq́ adeò decus explicet æquis
Verſibus, ac longum rebus dare poſſit honorem.
Nunc verò tenue eſt quo nos præſtamus; idemq́
His impar factis quæ ſunt ampliſſima. Cœlum
Et natura dabunt; qui grandia grandibus olim
Verſibus acta canat: pretiumq́ inducere chartis

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 669 4° copy 2

Poſsit, & Aonios inter florere Poëtas.
Nos equidem voto tantum precibusq; ſequamur,
Vt quæ digna bonis, quæq; hiſce ſalubria tectis
Atque optanda ſient cumulata Iuppiter vrna
Perficiat. nec enim humanæ virtutis, & huius
Arbitrij eſt; humili primùm de ceſpite magnum
Tendere opus: firmis tum mox vincire columnis,
Et dare perpetuos in lucra ſequentia neruos.
Ardua cœlitibus cura eſt: qui ſpemq; metumq;
Inter agunt lentos in celſa palatia motus;
Nec temerè fieri, quæ fiant magna, probarint.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 669 4° copy 2

C. ERASMI MICHA-
ELII LAETI,

NORIBERGICORVM

LIBER SECVNDVS.

Ergò vbi Pegnitio patuit via flumini, & oẽs
Fontibus à primis deduxit Juppiter vndas:
Conſilio fama eſt cœleſtia numina magnos
Decreuiſſe Deos inſcribere littus honori,
Atque admirandos inferre in mœnia ciues.
Cumq́; alijs aliud placuit; Noriberga ſagacis
Jmperio, & ſtudijs ceſſit victura Mineruæ
Armiſonæq́; Deæ: cui ne quid ab hoſte pericli
Surgeret, aut dubijs erret victoria ſignis,
Quæ moueant ſeri pro Libertate nepotes:
Ipſe adeò cœli rector, fatiſq́; futuris
Decernens metas, regniq́; innixus habenis;
Palladijs Martem belloq́; ac arte potentem
Rebus adeſſe iubet. mox ſe Cyllenius infert,

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 669 4° copy 2

Mox Phœbus: rutulo cui circum tempora vultu
Plurima flamma micat, verisq; & honoribus ardet.
Sola Venus complexa Fidem ſe pone ſequendo
Suſcitat, ac ſacro deuincit fœmora ceſto
Nil cunctata. alios latè ſubmouit. at ipſe
Deſuper intuitus cœleſti dexter ab orbe
Juppiter, hanc diuûm confirmat lege Coronam
Et fato ius eſſe dedit, vincloq; perhenni
Sancijt. ex illo properantes ſecula curſus
Euoluunt: rapidoq; legens veſtigia motu
Gyrat iter Phœbus; celeresq; dat ire iugales,
Et gradibus tardos impellit acumine menſes.
At poſtquam fato ſeries expleta reſedit,
Conuexitq; diem; quo ſe fundamina tanti
Efferrent operis; primosq; capeſcere motus
Poſſent, atque baſes venturis condere tectis:
Vtilis extemplo & claras Vir natus ad artes
Extitit; ingenio ſolers: cui plurima circum
Pectus erat rerum & veteris prudentia mundi:
Quiq; animo ſtudijsq; æqui, & virtute valebat,
Ac circumſpecto meditatur acumine quicquid
Egregias proferre operas, famamq; tueri

Poßit,

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 669 4° copy 2

Poſsit, & ingenuo decerpere commoda fructu.
Hic igitur cœlo tum iudice fretus honeſtæ
Vrbis opus molitur; & his pomœria tendit
Finibus; æratos vbi numina figere muros
Et proſtare volunt. quæ res felicibus vt ſe
Extulit auſpicijs, planoq́; ſtat area fundo;
Contrahit actutum populos, varijsq́; viarum
Sedibus exceptos multa regione ſequentes
Partitur, tribuitq́; locum & parentibus inſit.
Inclyta Francorum ſoboles, gentisq́; Sicambræ
Gloria prima; tuos quantum ſors cunque parentes
Exegit melior patrijs è ſedibus; vltra
Cum fluuios rapidi tranſitaq́; mœnia Rheni
Vexit, & heſperios inter dedit oppida Celtas:
Quo ſit noſtra loco res & fortuna, videtis.
Terra in conſpectu eſt, rigidis velut obſita ſaxis
Et ſabulo diſtenta: vbi pingui fertilis aruo
Planities haud lata ſubeſt: res vna coëgit
Quæ noſtros olim maiores quærere quas tum
Aut terras petiere, aut nunc fortaſſe remotas
Fœcundasq́; tenent. ſed enim nihil anxius iſta
Perſequor: æthereo placeant quæ facta parenti,

Juſta putes: ſeu læta colas; ſeu triſtia damnes.
Nec tamen aret ager: ſterilesúe in paſcua campos
Omnis & omnis habet, vinis rubet vua ferendis:
Et ſua pampineo cumulatur gloria ſucco.
Quin ſegeti locus eſſe poteſt, & idonea lætis
Frugibus ora: ſolum redimas ſi fortè moleſtis
Sentibus, & latè paliurum falce reſcindas.
Hîc igitur teneram primis radicibus vrbem
Molior. hîc ſedes venturo ac tecta nepoti
Figere, & æratis propero dare mœnia portis.
Hanc mihi confirmant & cætera commoda mentem,
Quæ ſe vicino fluuij de gurgite noſtris
Vſibus intulerint: gratos vbi littora piſces
Suppeditant, & aquas vitæ in compendia reddunt.
Nec cæcis quiſquam me duci ſortibus, aut re
Incerta vanaúe putet. ſua regibus olim
Cura laborq; fuit noſtra hac regione, deorum
Auſpicijs ſtruxiſſe vrbem: quæ iusq; bonumq;
Publicum, & egregios adferret in oppida faſces:
Nec potuiſſe tamen, fatis fortaßis iniquis
Excluſos: bellis cum vel quæ parta tuentur,
Vel facto exercent longinquas agmine terras:

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 669 4° copy 2

Etmulto affligunt varias ſtrategemate gentes.
Arcem moliti ſedenim hanc fixere vetuſtam,
Quam coluere. alijs ſors hactenus obſtitit. aſt iam
Apperuiſſe putes, felicem Numina lucem,
Qua quod maiorum ſpectabant vota, ſequendo
Perficias: operiq; loces fundamina; quo vix
Poſteritas aliud ſpectarit maius: honeſtos
Seu vitæ mores, ſeu morum præmia cernat.
Vtq; nihil dubites monitis accedere noſtris,
Et cœlo rem authore geri; cape ſigna futuri
Euentus, animo quæ ſunt firmiſſima noſtro.
Vidi ego formicas numeroq; ac agmine latè
Errantes; dorſoq; cibos atq; ore ferentes,
Huc celeri properare gradu: variéq; ruentes
Poſt alias alias, hic demum exponere quidquid
Multiplici partum cumularat turba labore.
Addita vox, properate, inquit. mihi ſomnia curæ
Sollicito rumpunt: cumq; expergiſcor aceruos
Penè etiam ſpecto, tam forti viſa cerebrum
Impulſuúe mouent, rerum vel imagine firmant:
Iamq; dies alterq; dies proceßit Olympo,
Interea meditor dum quid mihi talia mæſto

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 669 4° copy 2

Somnia portendant. neq; enim mihi Somnia quiſquã
Talia vana putet, temeréue exiſtere credat:
Diuerſas ſubitò cum nox mihi tertia formas
Intulit, ac animos cura maiore fatigat.
Namq́; loco hoc ipſo dilapſum ex æthere vidi
Spargentem radios, cœleſtia lumina, Solem:
Et latè mouiſſe faces. terra omnis, & omnis
Undiq; pontus, aquis quantum tumet; huius ab orbe
Enituit; placidiſq́; velut ſplendoribus ardet
Et iubar æterno memorandum educit ab igne.
Somnus abit. me ſollicitum tenet æmula veri
Relligio. cumq́; his veterum ſententia viſis
Congruat, ac noſtris conſpirent tempora votis:
Haud metuo ductis iam nunc pomœria ſulcis
Scribere, & hîc terras venturis cingere tectis.
Multa equidem venient huc cõmoda: multa viciſsim
E nobis totus ſibi commoda vendicet orbis.
Et lucrum mercede petat. tum maxima cunctis
Incrementa feret; tua cum te plurima cunctis
Approbet, ac latè ſpectandam induſtria reddat.
Spero autem ſuperis benè fortunantibus hanc nos
Rem conaturos. Nec quem terræue locíue

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 669 4° copy 2

Terreat aſperitas: ſterilesúe horreſcat arenas.
Juppiter ipſe etiam ſabulo delubra calente
Fixit, & hac reddi votum tellure probauit.
Aut ego quid Lybicā memorem Carthaginis vrbem
Allobrogumúe ſolum? duris vbi plurima ſaxis
Terra riget; petrasq́ inter variosq́ labores
Sollicitant operas, & ſpe ſua lucra ſequuntur?
Scilicet hæc ſupero conſtat ſententia cœlo,
Virtutem ſtudijs vſuq́ auſuq́ parari:
Nec quæ clara ſient famamq́ nepotibus addant,
Ignaua ſegniúe manu, ſomnumúe ſequente,
Perficier. merito populis ſudore grauiq́,
Eſt opus: ingenuas cepto cum induſtria laudes
Reddat, & æternos cumulent impendia fructus.
Sit locus hic noſter ſterili fortaſſis arena
Triſtior. at certè noſtris vicinia muris
Commodet: ac ſi quid nunc vndiq́ contrahat omnis
Terra boni, magnisq́ paret ſudoribus; huc ſe
Inferet; huc patrias traduxerit accola merces
Luxurietq́ foro, pretijsq́ obſonia vendat.
Vna quidem ratio eſt; quæ nos in lucra piosq́
Aſſeret euentus; animo conarier & re,

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 669 4° copy 2

Artificiq; manu: vigiles quæ dextra laborum
Sectetur curas: neq; ſe concedat inani
Obruier torpore, animoúe fatiſcere. pulcrum eſt
Eniti virtute (vbi forſan iniquior æuo
Sors aduerſatur) ſtudioq; accendere fatum
Mollius, ac cunctas vincendo adducere gentes.
Nos equidẽ hunc, quanquã paulò nũc langueat vſu
Horridior, virtute locum illuſtremus: eritq;
E nobis fortuna loco; non nos locus iſte
Aut beet, aut animo perculſos terreat. aut quid
Aſſyrios etiam, primi qui regna per orbem
Conſtituere? quid Auſonios, quid deniq; multis
Gotthica ſceptra canam? res eſt manifeſta vacante
Incultoq; ſolo fixiſſe palatia Reges:
Fortunamq; loco, & claros ſtatuiſſe triumphos.
Nos etiam exemplo monſtrabimus; ardua quantum
Promoueat virtus: vbi non cœleſtia totis
Viribus, aut toto ſyſtemate fata repellunt,
Aduerſosúe ferant in vota ſequentia diuos.
Hac igitur mecum ſi quem tellure morari
Et durare iuuet; protenſa in ſidera mentem
Teſtetur dextra: ſonituq; ea fœdera firmet,

Propo-

Propoſitum conſtans. Neq; enim quibus aſpera rerũ
Conditio ingrata eſt: trepidantq́; ſubire laboris
Inijcium fortaſſe graue; (vt plerunq; videmus
Eſſe, quibus niti fundamina prima neceſſe eſt;
Cùm capiunt tardos pulcerrima corpora motus)
Hîc aptos ſeſe eſſe putent: qui multa laborum
Tædia vel ſuperent; animo vel triſtia vincant.
Ingenijs opus eſt, & quæ Patientia primos
Fregerit inſultus; rerumq́; exordia quamuis
Dura ſient, forti tamen omnia perferat auſu:
Et ſpem, vincendo meliora in commoda firmet.
Me quocunq; ferat rerum fortuna, fidelem
Communemq́; adeò populis; ac iuſta daturum
Iura putes; quicunque ſequi; quicunque tueri
Iuſſa fidemq́; velis. veteri noua mœnia caſtro
Adiungam, & duplici conſtent mihi publica neruo.
Sic dixit: ſuperosq́; animo complexus, honeſtè
Perſuadet: totosq́; infert ſub ſidera vultus,
Propitiosq́; Deos ventura in fœdera ſpondet.
Cùm ſimul; ingenti ceu quando exercitus omnis
Induperatorum conſentit vocibus auſu
Et clamore: nec hos ventura pericula terrent;

Nec

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 669 4° copy 2

Nec fortes animos quæ ſunt præſentia frangunt:
Sic turba applauſu, dictorum extrema probarunt
Seq; manu ſuperos teſtante & ſidera magni
Fœderis in nexus: atque in communia vitæ
Siue pericla ferunt, ſeu certa in commoda mittunt.
Tu ſaltem noſtris diuine Vir vſibus adde
Conſilium: atq; tuis ſis anchora fida, geraſq;
Prima Magiſtratus noſtriq; exordia regni.
Finierant, læto cum protinus aurea plauſu
Tecta Iouis fremituq; ſonant: vox lata per auras
Increpitat, genioq; volant decreta ſecundo.
Cum media in turba quidam; quocunq; malorum
Siue æſtro motus: ſeu rem conatus atroci
Inuidia turbare: animoq; inferre ruinas,
Propoſitoq; metum; concepta reſcindere verbis
Et clamore ſtudet; celeriq; profatus ab ore
Sic cepit. Non me Socij fortaſſe loquentem
Explodant: Nec enim ſubita hæc ad fœdera veni:
Nec quæ dicta ſient, firmare hæc omnia poſſum.
Multa obſtant. Locus ipſe parum iacet vtilis vrbi;
Et riuo ſaltem alluitur. gens æmula circùm
Laudis habet; certè quæ duci prima negarit

Mœnia.

Mœnia. Quid? furijs incenſus atrocibus orbis,
Fulminat, ac triſti Latium premit omnia bello.
Vtq́ aliud nil ſit quod fortè morarier iſtud
Poßit opus; fama ſi res increuerit vrbem
Hic nos moliri, populosq́ incingere tectis:
Extemplò redeant, qui pridem Gallica Rheno
Iam loca tranſito penè in ſua prædia vertunt
Fortunamq́ iſtic quacunq́ è lege tuentur:
Inuitisq́ adeò nobis communia certè
Tecta petent; turbentq́ domos vnaq́ morari
Et colere iſta velint, noſtrisq́ penatibus vti.
Sic quos noſtra lares induſtria colligit, alter
Occupet, ac noſtris ſit ſpes oppreſſa ruinis.
Longè equidem melius ſparſiq́ vagiq́ colentes
Degimus. an volucrum non vita eſt cognita? piſces
Annôn in toto ſpaciantur gurgite? vel quid
Agricolis poterit felicius eſſe? nec illi
Mœnia ſtricta colunt: nec habent ſibi certa volucres
Quæ ſpacia æquatis ſectentur motibus. vna
Libertas, quæ pauca negat, planè omnia donat:
Et ferri molles inter dat corpora ventos.
Et tamen hæc nullis obnoxia cladibus æuum

Turba colit. miſerum eſt includier agmina muris:
Quæ cum ſe claudunt, iam ſe implicuere futuris
Luctibus, & certos ſtatuere in funera motus.
Aſpice quid Romæ cum primùm eſt condita, ſortis
Accidit inuiſæ? ſtultum eſt ordirier id quod
Plus damni intulerit; quàm lucri in præmia reddat.
Fac age, quod fieri fingis tibi poſſe; moleſto
Vt ſabulo condas medijsq́; in ſentibus vrbem:
Quæ demum vtilitas molimina tanta ſequatur;
Quæúe erit impenſi merces ſudoris? an eſſe
Propterea te te felicem dixeris: hoc ſi
Includas tandem munimine corpora? mens eſt
Quam potiùs frænare velis: cui ferrea ponas
Vincula; nec ſtudijs actam patiare ſiniſtris
Ducier, & toto ſcelerum feruore vagari.
Quisúe adeò ignorat, vel quanta ſuperbia, quanti
Interdum faſtus, vel quanta iniuria muris
Sit coniuncta? equidem res explorata monere
Quemque poteſt. alios contemnunt ciuica: bellis
Fidunt, ac multo violant tranquilla furore:
Vicinosq́; adeò manifeſta in crimina cogunt.
Nuſquam eſt, quod ſatis his poterit cenſerier. vrbes

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 669 4° copy 2

Haud ſatiare queas. cum affectant omnia, nullis
Opplentur. quin ſemper hiant, quia ſemper habendo
Languent, & nulla rerum vbertate quieſcunt.
Tum verò inuidiæ quantum eſt, quantumq́ue dolorũ,
Si quam iuxta etiam ſuboriri forſitan vrbem
Aſpectant; metuuntq́ue ſuis diſcedere quicquam
Poſſe opibus? Veijos ſaltem tumidasq́ue Fidenas
Hetruſcasq́ue domos & regna antiqua Latinis
Intueare: odio ſurgentis mœnia Romæ
Quanto exercentur? Quod ſi fortuna priores
Huc etiam partes & maxima commoda voluat:
Vt mediocri etiam conſiſtas lumine; quantas
Obijciat clades vicinia protinus? at ſi
Mox aliquam fortaſſe etiam ſubnaſcier vrbem
Et procul haud colere aſpicias; quo deniq́ue motu
Creſcentem toleres? bellis ſua quiſque tueri
Et proferre velit. non ocia tuta; nec vſquam
Gentium erit perſpecta fides. ita prælia primos
Atteret exorſus, vitamq́ue è funere captes.
Quantò molliùs hîc iam viuitur? ipſe prioris
Secli etiam caſus poterit docuiſſe; morari
Tranquillos, quos nulla quidem vel mœnia ciues

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 669 4° copy 2

Foſſa vel ampla tegit. nuſquam fixere parentes
Maioresq́; tui cumulatis Oppida ſaxis;
Nec muros inferre locis properare. faceſſat
Qui vitæ normam claros non eſſe parentes
Duxerit. in veſtras coëat ſententia mentes
Quæ vel cunq;. ego me ſic deniq; comparo; ne quid
Quod clades gignat, quodq́; attrahat ignibus ignes,
Bella ſerat; populisq́; luem conciuerit; æquos
Maiorum ritus, & lucra domeſtica turbet:
Conſenſuq́; animoq́; probem. mea rura paterna
Libertate colam. veniant in mœnia qui ſe
Eſſe velint ſeruos, frænumq́; admittere poſſunt.
Huc etenim Leges, huc pœnæ & mœnia tendunt.
Sic dixit, temerè dum plurima congerit, auſu
Maximus; at nuſquam ciuili prouidus arte:
Nec qui ſermonis farragine lucra ſequatur.
Eſt hominum genus, & populi non parua furentis
Portio: quæ turbare bonos, & vellere rectè
Confirmata poteſt: cum nil tamen ipſa modeſti,
Nil fortaſſe boni ſapiat. quibus omnis ineptè
Eſt ratio digeſta: animoq́; ingrata ſiniſtro
Venditat, ac alijs multò fœdiſſima pandit.

Ceu

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 669 4° copy 2

Ceu nunc oblatrat ſtulto melioribus iſte
Conſilio: dum nunc vrbes, nunc Ciuica vitæ
Iura premit, Muroſq́; odijs obiectat; & ipſum
Quod populos ornat, quod & oppida ſeruat inani
Gutture proſcindit, legeſq́; euertere certat.
Aut ſi quis ſæua fortaſſe Tyrannide quaſdam
Interdum verſis affligit legibus vrbes,
Et commiſſa premit: fuerintne proinde Tyranni
Cuncti etiam, quos vel Ciues, vel regna Monarchas
Eſſe iubent? Agathoclea quis contempſerit: vnus
Quòd ſeſe inuiſum patriæ Dionyſius vrbi
Præſtet, & in miſeros cumularit damna Colonos?
Anne Magiſtratum ſuperis donantibus orbi
Prælucere putas? quoſdam fortaſſe modeſtos,
Quoſdam etiam dant fata malos: res iſta tonanti
Definita, tuis æquata eſt rebus. vt eſſe
Hunc igitur virtute ſtudes; ita præſidet: atris
Ater; at his etiam quos albos comperit, albus;
Et pœnas duris, & præmia mollibus æquans.
Hos inter motus animorum & plurima vitæ
Officia haud quicquam donarunt pulcrius orbi
Numina: quàm claras quæ florent legibus Vrbes;

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 669 4° copy 2

Ciuilesq́; ferunt communia ad optima dextras.
Iſta autem quantis res fructibus eminet, inde
Perſpicias. Nam ſi tollas ea mœnia, ſacro
Conſenſu quæ iuncta vides, populosq́; reſcindas,
Et ſimul euerſis laceres culta oppida muris:
Quas demum facies, quæ rerum pondera cernas?
Notáne Barbaries, quæ pridem maxima, rurſus
Gentibus immittet ſceleratum moribus vſum;
Et tollet quodcunque vides Ciuile? fuiſſent
Nullæ vrbes, vel quis virtutem quæſo futuram
Dixiſſet? ſanè eſt hominum coniunctio, dulci
Quæ pretium virtuti auget: quæ iura Deosq́;
Copulat, ac recto formamq́; ac præmia condit.
Quòd verò inuideant alijq́; alijq́; modeſtis
Ciuibus, & bellis turbare hæc mœnia tentent:
Id tolerari etiam poterit: cùm maxima ſemper
Inuidia creuere, ſalusq́; è vulnere parta eſt.
Non ceſſare igitur deceat: quia ſuaſerit iſte
Fortè aliud. ſapiat ſibi; ſi commercia nolit
Iſta ſequi: & noſtris remoram ne rebus agendo
Inijciat. Nam quod redituros deniq; Gallis
Deſertis ſtatuat; planéq; hæc oppida Francos

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 669 4° copy 2

Eſſe inuaſuros; ſtultum eſt. colit illa beatos
Iam pridem gens firma lares, fixosq́; tuetur,
Et nihil incertis euentum euentibus auget.
Noſtra hæc res agitur: quos huc fortuna Deusq́;
Impulit, vt ſocijs iungamus culmina tectis,
Æternosq́; fide parili ſectemur honores.
Aſſenſum eſt. ex illo igitur ſunt tempore fundi
Diſcreti, & vici. formam capit ambitus vrbis,
Sed tenuem paruamq́;: velut rudimenta futuri
Eximijq́; operis; cum ſe ſolertia maius
Vindicat in pondus, rerumq́; aſpirat habenis.
Anguſto fluuius ceu cum de fonte ruendo
Creſcit; vt ingentes tandem vehat alueus vndas
Confertosúe lacus, diffuſaúe littora gignat.
Sic primos Noriberga orſus molita, venuſti
Pictoris ductus imitatur: vbi æmula veri
Linea, non ſpacio primùm deſcripta patente
Latiùs inſurgit, totosq́; amplexa colores
Parietibus ſerpit, limbosq́; meabilis implet.
Quidúe infante etiam rudius? cum prima ſub aluo
Stamina materna tenduntur; vbi aurea iuſti
Semina conceptus paulatim inducere formas

Et

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 669 4° copy 2

Et complere ſtudent. tenui fundamina iactu
Exiſtunt: opus at magnum ſuccreſcit; aluntq́;
Viſcera viſceribus quos addant mollia neruos.
Quin matutino non protinus æthere Solis
Dulce iubar ſpectas. primos aurora iugales
Explicat, ac dubios oſtendit Lucifer ignes.
Pòst vbi ſubuecto rutulat ſub Apolline mundus,
Jam totum ſplendor, quantum patet orbis, in orbem
Funditur: ac vaſtas luſtrat face Phœbus arenas.
Haud alio poſuit vallumq́; & culmina ductu
Cum primas Noriberga domos, & ciuica primùm
Tecta lareſq́; ſolo deſcriptaq́; mœnia fingit.
Aut ego quid Romam? quis namq́; exordia Romæ
Neſciat? aut primã memorem Carthaginis vrbem?
Jnclyta res tenui producta aſcendit ab ouo
Et ſummos petit aucta gradus. Sapientia diuûm
Prouidet, ex humili quæ ſurgant maxima fundo
Culmina, & humanas inter ſint lumina gentes.
Clarius & certè eſt rerum faſtigia paruis
Creſcere ab inijcijs; obſcuraq́; ſemina lucem
Fundere, & è nebulis totos producere Soles:
Quàm fulgore quidem oppreſſo, de lumine fumum

Mit-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 669 4° copy 2

Mittere, & inductis immergere clara tenebris.
Vidi ego magnificis natum genitoribus omnes
Maiorum titulos, & auitæ nomina gentis
Inſigni ſtrauiſſe malo; quòd inepta ſecutus
Inferret patrijs fœdas virtutibus vmbras.
Vidi etiam tenui plenos ſcaturigine fluctus
Mittier; exili cum maxima fonte redundant
Flumina, & æternas generat minor alueus vndas.
Sic ſua Romano primùm caſa parua Quirino
Tecta dedit; nudoq́; domos in ceſpite iuſsit
Moliri; donec ſucceſſu temporis omnes
Impleuit numeros; ſeptemq́; in collibus vnam
Tendit, & hanc validis firmauit ciuibus vrbem.
Sed quid ego hæc tenui conſector arundine? vera
Laus ſiet, ex humili producere grandia: cumq́;
Haud celſo fortuna gradu tibi conſtitit ipſis
Inijcijs æui; te facto attollere poſſe
Fortunam: & ſi quid fueris fortaſsè parente
Æditus obſcuro; gratam tamen vndiq́; lucem
Intuleris generi, famamq́; Nepotibus addas.
At verò primùm cum ſe Noriberga recentes
Induit in vultus, teneraq́; ab origine formam

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 669 4° copy 2

Aptauit ſpacijs, conceptaq́ Mœnia fixit:
Protinus iſta quidem ſtudio comprenſa recenti
Cura fuit: iuſtis deducier æqua plateis
Culmina, quà certā noua tecta imitentur amuſſim;
Et ſibi non curuos ſtatuant veſtigia tractus.
Nec infelici res hæc tentata labaſcit
Mercurio. ſolers fuit hæc in munera primis
Ciuibus arbitrium: quæ quantum ſcilicet iſto
Curari ſeclo poterat res; inclyta tantùm
Gens ſtuduit, ne quid perplexam ambagibus vrbem
Conderet; ac vicos vel inepto pangeret vſu,
Vel non venturæ forma eſſet idonea laudi.
Vtq́ ea non dubijs ſint vocibus acta; profectò
Haud etiam quicquam tibi cultæ pulcrius Vrbes
Spectandum dederint: quàm ſi menſura plateis
Amplior obuenit; rectoq́ è tramite lapſus
Conſtet: & æquato veniant ſuggrundia ductu.
Quis verò claram, Bauaris cui primus in oris
Eſt honor & latè fama ſeſe extulit, vrbem
Ignorat Monachum? quantis ſplendoribus omnem
Vicorum formam congeſtaq́ culmina pandit:
Dum ſeſe æquatis ad amuſſim recta plateis

Expli-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 669 4° copy 2

Explicat, ac grata dilatat mœnia norma?
Hanc æquat forma Lubecum diues; amœno
Quæ conſtructa loco, & primis Vrbs condita tectis
Spectanti blandos aperit pulcerrima vultus;
Atq; nitore placet. tanta eſt gratiſsima iuſtæ
Structuræ facies: dum ſeſe ex ordine vici
Excipiunt: rectasq; vrget menſura plateas,
Quas ſua primæuo complexa eſt linea ductu.
Tum verò ſpacijs non amplam fortè, ſed omni
Mundicie excultam quis neſcit Lypſiam? an Vrbẽ
Hanc non commendet ſpeciesq; ac ordo? fuiſſet
Paulò etiam maior, dum vinceret oppida; quotquot
Aut Latium, aut Celtæ, aut Germania ſplẽdida latè
Oſtentare ſolet, primisq; inſcribere formis.
Forſitan Auguſtæ multum tribuatur; habetq;
Multum etiam, quo ſe populi ſermonibus altè
Intulerit: dum Diuitias, dum priſca parentum
Laudibus acta vehat: dum ſe præſentibus ornet,
Et quæ larga quidem cumulat fortuna, ſequatur.
Aut quid ego Vratiſlauiam, fortemq; Viennam,
Præcipuas varijs & claras Ciuibus Vrbes
Addidero? poterit ſola Hafnia noſtra videri

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 669 4° copy 2

Ante quidem multis ponenda hoc nomine: quòd ſit
Opportuna loco; & præſtanti maxima portu,
Cui nullus ſeſe ſimiles æquarit in vſus,
Europæ quantum ſe terminet ambitus. vnum
Defuerit; ſtructam non marmore protinus eſſe,
Aut laterum ſolidis, cùm primũ eſt condita, muris:
Aut non tota etiam quadrato culmina ſaxo
Exerere. è quernis compages plurima lignis
Creuerat. & certè Quernis haud infima lignis
Gratia & vſus ineſt. noſtro tamen induit æuo
Formam aliam; nitidosq; ineunt faſtigia vultus:
Et ſibi paulatim ſurgentes auget honores. (inde
Sed quid ego hæc? Noriberga recens ſibi conſulit:
Cum mox à primo vicos fundamine iuſtis
Diſtribuit ſpacijs; rectasq; annixa plateas
Condidit, ac veros menſuram æquauit in vſus.
Jamq; annos anni cumulant, & ſecula ſeclis
Multiplicata fluunt; cùm ſe Noriberga ſecundo
Promouet acceſſu: quantumq; induſtria latè
Exercet populos; tantum ſeſe artibus addunt
Numina, & æternam virtus amplectitur vrbem.
Sed quis tanta breui referat pulcerrima verſu

Facta;

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 669 4° copy 2

Facta; quibus ſeſe humanæ Reſpublica genti
Iſta probat? non ſi me forſan habere dediſſet
Tot Deus ora, quot Hyblæi iuga plurima montis
Florilegæ ſectantur apes: aut æquora fluctus
Præcipitant miſero ſtolidè tentata Leandro:
Has equidem digno comprenſas carmine laudes
Dicere; & vt merita eſt, meritis ita plaudere poſſe.
Namq; vt origo boni Deus eſt: ita maximus orbis
Teſtem agit. at quantum ſe porrigit Amphitrite
Occeanusue graues circum caua littora pulſus
Egerit, ac vaſto dilatat brachia mundo:
Immenſo tantùm Reſpublica creſcit ab vſu
Et famam Noriberga fouet; quam terminat idem
Ambitus Oceani, qui terminat ambitus orbem.
Interea varijs vrbs ſortibus auctior altè
Surgit, & extenſo protendit culmina muro:
Cōtrahiturq; virûm numerus, quibus æmula magni
Pectora ſucceſſus totas implere cohortes
Vrbanasq; habitare domos & tecta laborant.
Mox ſua prima nouis fiducia Ciuibus acres
Ingenerat motus animorum, & fœdera firmat
Diuite ſpe rerum: cum ſe ſucceſſus honeſto

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 669 4° copy 2

Promouet vſu, æquisq́ venit ſua gloria votis.
Largiter increſcit numerusq́ ac ordo iuuentæ
Et pubem Venus alma ſerit: connubia lætos
Inter alunt ſolidè coëuntia fœdera ciues,
Aſpirantq́ ſuis iam tum noua mœnia regnis.
Vtq́ etiam firmo tantum fulcimine conſtet
Vrbis opus, primam Fidei poſuiſſe feruntur
Ædiculam; ſoli cui ſe Reſpublica Diuæ
Vouit, & huic vni nomenq́ ac fata dicauit.
Mox ſua Gradiuo licitis qui præſidet armis
Militiæq́ Deo, communibus ardua dextris
Templa locant. Sanè hic meritos induxit honores
Ciuibus, & firmo ſtatuit fundamina muro.
Poſtquā urbi forma cōſultum & pace reperta eſt
Palladias tentare artes aggreſſa iuuentus
Nil prætermiſſum, quod honeſtè exquirere poſſet,
Eſſe ſinit. vigili circumſpicit vndiq́ vultu
Quà complexa viam ſibi conſulat: anne feraci
Verſet humum, glebasq́ agili proſcindat aratro
Et terram ſtudioſa colat; quæ forſan arena
Languidior, ſteriles in ſemina pandere ſulcos
Poſſet, & haud diti cumulare impendia cenſu:

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 669 4° copy 2

An verò ingenij ſectetur acumine, quà ſe
Malleus in ferri maſſas & dura metalli
Pondera præcipitat: tenuis cum lamina formas
Nunc iſtas, nunc haſce capit; varioq; meatu
In quoſcunq; voces migrauerit ardua vultus.
Deniq; ſi lanam licijs induxerit (hîc cum
Vitibus haud fas ſit cultura inſiſtere:) nunquid
Eximias auróue operas, gemmisúe nitorem
Commodet; aut ſacris ſtruat alta palatia Muſis;
Perpetuoq; velit complecti iure Camœnas?
Cum tantis animi curis ſe protinus iſtuc
Intulit, Hoſpitium vt claris ſiet artibus: vnde
Et generi humano lucrum; & ſua prima Tonanti
Gloria, & ingenijs non vani oriantur honores.
Id cum propoſito decretum conſtitit, auget
Iudicium Deus; & gemina iubet alta bilance
Commoda menſuris pendere ſequentibus. id ius
Iam pridem cœlo firmum eſt: vt diuite noſtras
Accedat plerunq; domos numeroq; bonoq;
Et magno penſet quæ ſentit grata talento.
Vtq; ea res oculis conſtet ſubiecta, tueri
Hîc te pictorem iubeo; qui qualiter arte

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 669 4° copy 2

Corpora molitur, varijsq; coloribus auget
Et membra & faciem; teretesq; in tergora lumbos,
Extenſasq; manus, plantisq; talaria iungit:
Et tamen vna omnes hos linea colligit artus
Includitq; ſinu: ne quis vel plura putarit
Corpora, vel temerè congeſta ea viſcera narret.
Haud aliter Noriberga, ſequi dum ſingula primis
Imperij curis, rerumq; è fonte laborat;
Cuncta ſimul complexa capit: cui Iuppiter vni
Maxima cum ſperare animo; tum maxima certè
Aſſequier ſperata dedit; facilisq; ſecundat
Arbitrium, & claram cumulat prouentibus vrbem.
Hinc igitur tanta eſt, quanta eſt Noriberga; Deoq;
Propitio fruitur: cui cum ſe ſubijcit, altos
Exuperat fortunæ aditus; vincitq; ſequendo
Ardua, & haud dubias infert in mœnia laudes.
Aſpice quid primo Reſpublica ſemper ab ortu
Paſſa ſiet: quibus hæc animi virtutibus omnes
Deijcit oſores: quo vel diſcrimine muros
Auget, vel ciues Libertatemq; tuetur.
Vtq; nihil priſcæ memorem certamina gentis,
Quid fortuna recens, res eſt illa obuia luci;

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 669 4° copy 2

Burggrauijs certata viris, Ducibuſq; moleſtis,
Intulerit cladis fuſiq; in culmina belli?
Et tamen hoſtiles inter Noriberga tumultus
Inuiſaſq; manus ſuperis aſſerta beatis
Conſiſtit; nuſquamq; labat, nuſquamq; ruendo
Deficit: at maior ſuperato latius hoſte
Frondet, & æternas cumularit in oppida lauros.
Quo fato cùm duret, ineſt reuerentia fato
Applauſuſq; bonorum, & honeſti plurima voti
Materies. quid enim? cum excellat diuite rerum
Notitia, formis ſibi rerum & acumine totam
Obligat Europam: populos trahit, excitat omnes;
Vt demirari artifices & honeſta feracis
Ingenij monumenta velint. ita digerit omnes
Fortuna articulos, ſeq; in ſua commoda certo
Promouet euentu, fixaq; hac ſede moratur.
Nec tamē & ſtudijs operum, atq; laboribus hiſce
Eximijs tantùm ſuperat Reſpublica. forſan
Æmula defuerit nulli manus altera mundo;
Et plures tentare iuuet; quod & vſibus & re
Ponderat, ac laudum titulis imitarier audet
Maxima. quin felix imitatio prouida multis

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 669 4° copy 2

Res etiam cladis patiatur publica; ſi quo
Tempore priuatis grauia in certamina rebus
Indigeat; totiq́ ſalus fortaßis honeſto
Sit bello quærenda Vrbi: cum Ciuibus arma
Imperet, ac ſocios in prœlia digerat enſes:
Hic fultam neruis Rempublicam, & ære bonorum
Priuato florere domos; res vnica lucro eſt
His, qui communem bello quæſiſſe ſalutem
Et viciſſe velint. partarum huc pertinet omnis
Prouentus rerum; priuataq́ commoda volui
Et ſpectare putes: opibus Reſpublica tandem
Vt ſit ſalua tuis: neq; te deſerta rapinis
Et prædæ cedat, caſuúe agitetur amaro.
Hic igitur finis ſociati eſt fœderis: huc ſe
Conſenſus ciuilis agit: communibus vt ſe,
Vt libertatem ac muros tueatur in armis:
Et belli ſtatuant ſua lucra domeſtica neruos.
Non aurum, non argentum, non gemmea ciſtas
Materia opplerit, quæ prodat Publica. valdè
Peccatur, cum quis communi fortè ſaluti
Ante quidem ponat priuatæ commoda vitæ:
Communesq́ & opes animo conſeruet egenti.

Illa

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 669 4° copy 2

Illa ęquidem dudum res perdidit vna valentem
Perſea: Romuleos hæc perdidit vna Quirites,
Et peſſum magnos etiam dedit ire Monarchas.
Stulticia eſt, ſapere à facto. nec pellitur hoſtis
Is facilè; occluſo quem pars aduerſa metallo
Fulcit; & vt naſſa plenis inuitat aceruis.
Cura parandarum quapropter ſedula rerum,
Sed iuſta & nullis obnoxia fraudibus adſit:
Quas ita poſſideas; vt cum tua lucra ſequare
Et proprias cumularis opes: tamen vſibus iſtas
Deberi cauſiſq; putes; Reſpublica vero
Iudicio ſi quas, vt publica commoda reddit.
Hac igitur Ciues cum ſe virtute probari
Et ratione ſinunt: patriæ cùm iura ſalutis
Omnibus ante quidem priuati fructibus æui
Conſilijsq; ferant: equidem ditiſſima cunctis
Exuperat Noriberga bonis: lætosq; penates,
Atq; redundantem cumulat prouentibus vrbem.
Deniq; communi ſe quiſq; huc commodat vſu;
Huc ſpectat, cuncti vt felices viuere poſſint:
Sintq; vrbis Ciues non tantùm & mēbra: ſed omnis
Sint ſibi cauſa boni: ſint Libertatis auitæ

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 669 4° copy 2

Cuſtodes. quantumq́ animis opibusq́ valebunt;
Tantùm annitantur ſtudijsq́ ac Marte beata
Maiorum facta, & Ciuilia iura tueri.
Hanc ſibi iam pridem crebro Reſpublica laudem
Occupat euentu. Sola eſt cui Iuppiter iſtud
Muneris indulget; conceptaq́ vota ſecundat;
Ac firmos inter conſiſtere donat honores.

C.ERAS-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 669 4° copy 2

C. ERASMI MICHAELII LAETI,

NORIBERGICORVM

LIBER TERTIVS.

VT verò primis nituit circumdata muris
Vrbs Noriberga; nouosq; in mœnia tranſtulit vſus
Communes ſectandi operas, partumq; tueri:
Succeſſu deinceps vſa eſt in vota ſecundo,
Et maiora capit ſimul incrementa, foresq;
Sic foribus iungit ſimul vt gratiſsima tectis
Aucta ſit, & multo ſe forma extendat honore.
Aut quæ prima ſuis inducam laudibus? Vrbem
Anne ita magnificis enaſcier ædibus; omni
Quá ſpecie excellit iuſtisq; ſtat ardua muris?
An verò tanta rem Maieſtate tueri
Publicam, & eximijs florentem viribus altè
Surgere, & æternos proferre ſub æthera faſces?
Nec dubium eſt ſupero referenda ea clara Tonanti

Munera: qui quantis mortalia facta triumphis
Deſtinat, à primis decernit fontibus. vni
Proſpera cuncta Deo ſunt adſcribenda: manuq́;
Ipſius appenſa eſt quæ te ſors læta ſequatur.
Aut quot ſtructa quidē ſunt oppida: quæ tamen eſſe
Penè obſcura vides? vel ſi fortaſſe nitorem
Sanè aliquem oſtentant; alio tamen ordine valdè
Preſſa iacent: ſortemq́; gemunt, priſcæq́; queruntur
Se Libertatis ſpoliata hîc legibus eſſe.
Sunt alijs ſua fata: vt nil ſe attollere poſsint.
Lætior aſt alijs nocuit fortuna: minor quòd
Sedulitas plerunq́; ſiet, quibus inclyta rerum
Conditio numeris ſeſe explicet omnibus. aut quis
Neſciat in quantos ſeſe inferat Haſnia fructus;
Si modò conniti, & ſtudijs aduertere curas,
Solerteſq́; velit diſtendere in ardua neruos?
Illa loco certè poſita eſt, vnde vnica toti
Commodet Europæ: Zephyroſq́; amplexa modeſtis
Eoï populis medianti cardine iungat;
Diſtanteſq́; ſuo faceret coaleſcere lucro.
Hac illa immenſum ratione excreſceret. at nos
Atterit ipſa boni ratio; quæ plurima noſtros

Cum

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 669 4° copy 2

Cum fouet, hanc tenui ſectamur acumine. rerum
Vbertas rebus non conſulit. Aſt Noribergam
Cura animi magnis inſcripta laboribus Vrbem
Promouet; ingenua cum ſollicitudine cunctos
Explorat tractus fortunæ; amplasq́ ſequendo
Diuitias cumulat, famamq́ hac laude tuetur.
Aſperior locus eſt: ſed iuſta induſtria Ciues
Aſſerit, ac ſteriles ſolertia vincit arenas.
Moribus his igitur Reſpublica creuit. at illam
Interea ratio geminis firmiſſima neruis
Colligit; ac merito florentem veſtit honore.
Altera, Templorum certè eſt cultusq́ Deorum,
Et pietatis opus: cùm Chriſto accedat, eiq́
Et ſoli, & vero reparatæ iura ſalutis
Deferat humanæ: pretium qui ſoluit, & Orco
Impoſuit felix æternas Victor habenas.
Hanc Euangelij doctrinam, atq́ inclyta verbi
Cœleſtis monumenta ſibi Noriberga putauit
Suſcipienda: nigrum quando auerſata Draconem
Infernıq́ greges, toto ſemouit ab vſu
Pontificum; verè cum iam documenta ſalutis
Purgaret; noſtrumq́ adeò ſparſiſſet in orbem,

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 669 4° copy 2

Leucorei paſtor gregis & tutela LVTHERVS.
Hoc Doctore ſtatim vt guſtum Reſpublica tanti
Muneris accepit; pedibusq́ manuq́ repentè
Fertur in hanc curam: Chriſtumq́ amplexa fidemq́
Aſſeruit; nullis, quæ multa fuere, periclis
Territa: cum veniens Auguſtam Carolus vrbem,
Adduxit Fidei tractanda negocia noſtræ.
Ex illo conſtans durat Reſpublica, cœlo
Defenſante dijsq́ animum firmantibus: vt nil
Quod Chriſto aduerſum ſiet, admiſiſſe feratur.
Interea quibus vſa quidem eſt verbiq́ miniſtris
Eximijsq́ viris ſuperæ præconibus aulæ,
Rettulerint alij. nos, ne maiora ſequamur,
Et ſeriem longo ducamus ab ordine certa
Impedijt ratio. Theodori nomina Viti
Et merita, & claræ ſacros virtutis honores
Poſteritas mirata canet. iamq́ illa per orbem
Sparſa nitent; interq́ manus interq́ bonorum
Cenſuras celebri verſantur maxima laude:
Iuſtaq́ fama viro & bonitati præmia reddit.
Heu paucos animo tales: licet eſſe videri
Præſtantes doctiq́ velint: quibus altus Apollo

Etſi

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 669 4° copy 2

Etſi aliquid fortaſſè dedit, quod dixeris eſſe
Haud paruũ: tamen his prauamq́ malamq́ leuẽq́
Diſpoſuit Stygio fortuna è ſemine mentem:
Cum ſtudio noceant; & acerbo plena veneno
Pectora prætextu bonitatis in omnia fundant.
His metam ſors æqua furoribus atq; malignis
Vſibus ingenij ſtatuet, cum ſidera iuſtas
Nequitijs pœnas decretaq́ præmia reddent.
Sed quid ego hæc? Viti nomen famamq́ nepotes
Et monumenta colant. peregrini induſtria Vatis,
Vel nihil aſſequitur; vel non ſatis; vnde ſepulto
Conſtet honos, meritæq́ inter ſint nomina laudes.
Defuncto ſucceſsit, honeſto maximus æuo
Mauritius; quo nunc Reſpublica præſule multùm
Vtitur ingenuo: rerum cui forma bonarum
Cognita; nec leuiter nec quid molitur ineptè,
Nec turpi cumulat monumenta domeſtica lucro.
Palladijs ſedenim cum floreat artibus artes
Promouet, ac magna pietatis laude gubernat:
Eximius ſtudijs, mentem bonus; integer acri
Ingenio; cui quid deceat, nouiſſe labori eſt.
His igitur Noriberga viris, ſimiliq́ bonorum

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 669 4° copy 2

Vſa miniſterio; doctrinam & pura ſalutis
Semina conſeruat; longosq́; inferre ſub annos
Et retinere ſtudet; cuſtos, tutela, vigilq́;
Exiſtens; ne quà Sathanas perrumpat, & hoc quod
Sparſum eſt immani graſſatus ſtrage necarit.
Vtq́; minus cauſæ deſit quam fida tuetur,
Inſtituit firmatq́; Scholas, conditq́; Lycæa;
In quibus ingenuæ certis Doctoribus artes
Tradantur; ſtolidæ & via ſit patefacta iuuentæ,
Vt ſapiat: ſi quid ſapere aut didiciſſe decorum
Eſſe putatur ineſt multis contemtus, & hoc quod
Conamur, ſtudijs meliores reddere; certè
Quo deceat paucos animo acceptare videmus:
Afficierúe etiam curis; quas ſemper honeſtas
Maturasq́; bonos alieno nomine cernis
Complecti. Sed enim nihil his Noriberga periclis
Officio cedit. Studioſæ multa iuuentæ
Commoda partitur, doctosq́; adhibere Magiſtros
Contendit. fructu quæ res ſuccedit honeſto,
Eq́; ſuis multos ad frugem adoleſcere cernit.
Aut ego quid Doctis impenſa ſalaria dicam?
Res pro more quidem maiorum Publica multos

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 669 4° copy 2

Quos fouet, ac gremij veluti ſub iure tuetur
Acceptos; meritoq́ loco dignatur; & omni
Officio cumulat; primisq́ & honoribus auget?
Res in conſpectu poſita eſt. ſaltem inclyta magni
Schoneri monumenta vide; quo maius haberi
Nil potuit. tantum ſolidæ fuit artis in illo
Ingenijq́: Mathematicas dum ſedulus artes
Vindicat, ac cœcum reparatas ſpargit in orbem.
Poſtea Schonero veluti genitore ſecuta eſt
Diſciplinarum ſoboles ingensq́ feraxq́
Atq́ animis ſolers: placitis quæ adiuta Magiſtri
Auxit opus, pulſisq́ dedit ſpectarier vmbris
Artibus inductam ſtudioq́ & acumine lucem.
Hoc decus æterna dignum Reſpublica Cedro
Maioris fecit; quàm cœci lubrica Pluti
Carpere ſectando veſtigia: ſpondeat omnes
Hic quanquam fallax & opes in iurgia mittat.
Cumq́ ſibi hanc retinendam etiã Reſpublica laudẽ
Eſſe putet: nuſquam ceſſat decernere Muſis
Præmia. quæ certè tantarum maxima rerum
Impenſis etiam magnis poſſeſſio durat,
Sacraq́ non vili retinentur Numina lance.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 669 4° copy 2

Quin age, quis ſacros memoretúe feratúe Poëtas
Eximioſq; alijs excultos artibus: hoc qui
Aut Ciues vixere loco; aut ſenſere beatæ
Vrbis opes: dum Pegaſeis æquata Camœnis
Commoda percipiunt, ſtudijſq; ea fulcra merentur?
Helius hîc vitæ plerunq; Eobanus honeſtos
Exegit ſcribendo dies: cui Phœbus Apollo
Non molles tantùm donabat fundere verſus:
Sed Laurum adiecit; primiſq; in vatibus eſſe
Præcipuum dedit, & ſolida præſtare Corona:
Quam non ſtulticia eſt nactus: cum forſitan effrons
Eſſet, & indigno captaret præmia verſu.
Huic moderato igitur cum Laurum magna virentẽ
Calliope inferret comitata Sororibus, vna
Sic monuit Clio. noſtri cape muneris Heſſe
Principium hoc etiam: ne quid mortalia ſpectes
Præmia, & ingrato ſubdas ſacra pectora mundo.
Hac viuas iam laude; Deo quod teſte Poëtam
Te noſcantq; colantq; tui: cui gloria latè
Serpat: & ingenuis creſcant tibi nomina Muſis.
Sic dixit: blandeq; virum complexa fragorem
Induxit ſcriptis fatumq; æquauit honori.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 669 4° copy 2

Aut quis Vernerum, cui ſacra Mathemata lætis
Sunt ſtudijs exculta viro, iam neſciat? ille eſt
Qui varios doctrinæ vſus cœleſtis amœno
Extulit ingenio; dum Conica pandit, & amplos
Interea fructus ad commoda publica flectit:
Viſuiq; adeò radij fundamina monſtrat.
His alios addas, quos vel Noriberga clientes
Vel ſtudijs claros habuit. mihi multa virorum
Nomina ſunt ignota: quibus quòd Phœbus Apollo
Ingenium pinxiſſet, habent hoc vindice famam
Quam ſibi poſteritas retinendam grata putarit:
Anne Sebaldi etiam; anne Henrici plurima Ryſi
Obſcura eſſe putas merita? haud obſcura profectò
Hæc merita eſſe putes; quibus eſt ita deniq; Muſis
Conſultum; vt multa Noriberga ampliſsima luce
Splendeat, his ſtudijs: dum noſtris Græca latinis
Aut ambo, aut certè Ryſus ſic copulat: inde
Vt iam non tenues capiat Reſpublica fructus:
Hocq; etiam celebri latè cumuletur honore.
Deniq; & hæc aliquis putet argumenta beatæ
Florentisq; adeò Noribergæ exiſtere: quod cum
Plurima largiri & ſtudijs infundere poſsit

Perpe-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 669 4° copy 2

Perpetuoq́ velit: nuſquam tamen iſtud agendo
Deficit. immenſo conſtant impendia cenſu
Et larga veniunt, veniant quæ munera, dextra.
Non tamen aut animũ Reſpublica contrahit; aut re
Exhauritur. ineſt factis benedictio; quæ ſe
Creſcit, & exundant diti redeuntia Fiſco.
Sic ſimul ingenuis ac Phœbus Apollo Camœnis
Conſuluit; firmam iuſſerunt Numina ſedem
Ingenijs hanc eſſe bonis: vnde omnis in omnem
Penè etiam Europam: ceu magni maxima riui
Flumina, prouentus Doctorum exiſtat: eoq́
Muſarum alueolo ſibi mella fragantia totus
Colligat, ac partis lætetur fructibus orbis.
Vtq́ etiam æthereo cum ſplendet Phœbus in orbe,
Omnibus impertit lucem; radijsq́ meando
Seruit, & æternum fundit cum luce calorem.
Sic Noriberga bonis enata Authoribus, ipſo
Sanè equidem cœlo; non ſe ſibi ſeruat. in omnes
Venerit vtilitas: quodq́ educat ipſa potiri
Sæpè alios videas rebusq́ inſiſtere partis.
Id certè agnoſcant etiam qui lucra ſequuntur
Ex alijs: matremq́ colant, qui pignora laudent.

Sed

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 669 4° copy 2

Sed quò Muſa vehor? clarum diuine Melanthon
Ipſe introducens HELINGUM in ſede locabas
Hac paſtorali: cui nunc virtute ſacroq́;
Præſidet officio: leuibusq́; alienus ab iris
Arixis, ſtudioq́; procaciter vndiq; tete
Et manes vexare tuos, & carpere dictis:
Non hac ingratis par impietate, labores
Vt nihil eſſe tuos, & ſcripta volumina dicat.
Sed potius quæ te, quæ Præceptore Luthero
Hauſerit, ingenuo ſeruata ea pectore reddit:
Et puram verbi lucem ſine nube tuetur.
Sanè ego nil maius meliusúe Melanthone multis
Vel ſeclis vixiſſe reor: vel viuere poſſe
Expecto. tantum ſtudijs animoq́; valebat
Ac bonitate. nihil ſimulati pectoris, & nil
Fuci inerat. recto pergebat tramite: rectè
Cum docuit, rectè vixit: recteq́; ſecabat
Verbum. & quà potuit, ſtuduit prodeſſe, pieq́;
Profuit: ac multis portus fuit: vna ſalutis
Anchora; cuius opem varij implorare, moleſta
Cum ſe iactari nonnunquam ſorte viderent;
Et ſibi non grato quaſſari lintea vento.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 669 4° copy 2

Aut etenim ipſe manum miſeris ſupponit, eosq́;
Subleuat, atq; dato iuſsit confidere nummo.
Aut quos ingenijs præſtare ac pectore vidit;
Publica tutari quò res atq; oppida poſſent:
Hos equidem magnis commendat Regibus. aut ſi
Non etiam his; claras inſtructos mittit ad Vrbes;
Quos pietas foueat, læta dum ſtipe fruantur
Et creſcant ſacris pars non extrema Camœnis.
His animi ſtudijs atq; hac virtute Melanthon
Charus erat. multis ratio eſt diuerſa: ſed illum
Et Deus, & Muſæ & vitæ aſſuefactio talem
Finxerat. æthereo res eſt enata parente;
Si cum tute ſies doctus, bonus eſſe probere:
Atq; habeas ſolidam benefacta ob plurima laudem.
Hunc Noriberga virũ quantùm dilexerit, & quo
Sit complexa animo, notum eſt. Deus excitat illos
Qui ſedes Muſis & honeſta ſalaria condant. (Vrbi
Altera cauſa boni, eſt Regimen; quo maximus
Conſtat honos, meritisq́; venit ſua gloria formis.
Aut mihi quis rerum faſtigia ſumma; quis omnes
Explicet Imperij neruosq́; ac commoda; tantæ
Vrbis vt æquatas complectar carmine laudes,
Et celebrem molli ditiſsima mœnia verſu?

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 669 4° copy 2

Scilicet hæc Muſis ipſis & Apolline prorſus
Digna Deo res eſt: vel ſi cui Phœbus Apollo
Inſpiret promptam, quæ ſufferat omnia, mentem;
Conatusq́ iuuet, rerumq́ in pondera mittat.
Fas cœlum vix eſſe ſinit mortalibus. aut quem
Huc ſuus error agat, ſtultúe in pectore motus:
Vt quem cuncti etiam nequeant comprendere, ſolus
Apprendiſſe velit? ſuperant quæ grandia vires,
Ne ſubeas. at enim ſi quid tentaſſe ferare;
Ne tu committas, vt perfeciſſe videri
Nil etiam poſsis. vanum eſt cepiſſe: vbi curſu
In medio cogat grauius ſubſiſtere pondus:
Et procul à meta laſſos ſoluiſſe iugales.
Et tamen hoc etiam ſi quis certamine primos
Vrget equos; aliqua poterit fortaſſe videri
Progreſſus; nuſquamq́ etiam ceſsiſſe labori
Qui pariat veram coniunctaq́ præmia laudem.
Interea pleno licet haud potiamur in omnes
Succeſſu numeros: aliquaq́ oſtenſa retardet
Maieſtas calamum; puppimq́ auertere certet
Curſibus: iccircò non tota eſt iure theatri
Cedendum. certare iuuet, cùm vincere laus ſit.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 669 4° copy 2

Ergo vbi ſe forti cinxit Reſpublica muro,
Et rerum ſtatuit commercia prima: repentè
Legibus induxit formam: ne forſitan vſquam
Perderet egregios nocitura licentia Ciues.
Hoc poſito rerum fundamine, protinus ordo
Perſuaſus populo eſt: Patrumq; verenda poteſtas
Emerſit; rebus qui ponant limina; quiq;
Fortibus vtantur iura in communia loris. (nent
Hos penes omne quidem arbitrium; quo more guber-
Quoq; ſuos vſu compendia in aurea mittant:
Tranquillamq; bonis ſeruarint Ciuibus Vrbem.
Hæc pars æthereo par eſt Ioui. is omnibus vnus
Imperat, ac cunctis decernit munia diuis,
Decernitq; modum: quo ſeſe in facta Minores
Exerere, & mundo ſortes infundere poſſint.
Haud aliter veteri Noriberga è more ſacratos
Ire Magiſtratus, iuriq; præeſſe ferendo
Dicundoq; videt. quibus hæc reuerentia honosq;
Ceu ſuperis datur: vt nuſquam plebs, inclyta Patrū
Iudicet acta: nec inquirat quæ deniq; cauſa
Sint moti; vt tali ciues è lege gubernent,
Præſcribantúe ſuæ, quæ ſint facienda, coronæ.

Vt

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 669 4° copy 2

Vt radijs igitur ſubiecti corpora mundi
Vindicat à tenebris, aperitq; latentia Phœbus
Spectariq; facit: Sic ſe Reſpublica, patrum
Conſilijs infert manifeſta in lumina; nec quid
Obſcurat leges, & habent rata iura vigorem.
Quæ res vna ſalutem & publica commoda gignit,
Gignit opes, animosq; fouet: tum pectora iungit,
Fœderibusq; coire iubet, nexuq; beato
Adſcitis patriam coaleſcere gentibus vrbem.
Quin ſi quis merita, & tantorum facta parentum
Aſpiciat; mirari equidem iam deſinet: hac quòd
Relligione etiam ac populorum more colantur.
Prudentes etenim motus & pectora nullis
Effera ſtulticijs; operas, quibus omnia cunctis
Officia impendunt; virtutis longa beatæ
Agmina, & erectas in publica commoda mentes,
Quis memoret? nihil hîc humile eſt; nihil obuium
Conſuetoq; hominũ ſtudio. ſunt omnia celſa, (inani
Sed moderata tamen. quid enim? quocunq; tueri,
Atq; oculos deferre iuuat; nihil hocce virorum
Conſeſſu maius: nil quod quis dignius eſſe
Imperio dicat, patriæue optatius vrbi.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 669 4° copy 2

Tum ſua iuſtitiæ rigidas Clementia leges
Temperat; ac animis innata Modeſtia ſeruit.
Non faſtus, non hos funeſta Superbia turpi
Obijcit Humanos probro. cumq́; omnibus ante
Muneribus cellant: ſic illis vita modusq́;
Ducitur; in nullo tamen vt ſuperare videri
Aut viciſſe velint. Virtus moderatur agendi
Conſilium, & dubios firmat ſapientia greſſus.
Moribus his pacem retinent. Concordia Ciues
Vnit, & haud fragili coaleſcunt pectora vinclo.
Sicut in æthereis igitur Sol motibus inter
Sidera cuncta nitet. Sicut pulcherrimus auro
Incluſus Iaſpis. ſicut noua ſponſa marito
Adducenda oculos in ſe conuertere totos
Et retinere poteſt: ſic patrum hic ordo, Senatus
Inclytus, officijs & honeſti muneris vſu,
Sedulitate, manu larga atq; affatibus vltrò
Humanis; rerumq́; adeò quæ ritè gerantur,
Cura, atq; illato Pietati lumine totum
Seq́; ſuosq́; etiam ſpectandos præbet in orbem.
Aut quid quæſo Fidem, ſibi quam Reſpublica pactis
Promiſsisq́; adeò retinendam ſacra putarit,

Hic

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 669 4° copy 2

Hic ſileam? ſi nil aliud iam grande fuiſſet, (ſcires
Maximum id eſſe quidem & populis memorabile
Quin æquat fortuna animos. Dij mœnia ſeruent;
Hanc quæ virtutum ſegetemq; ſcholamq; chorumq;
Seruant, ac timidis ſecurant otia Muſis.
Cætera pars hominum, quos vel fortaſſè minores
Vel plebem vocites, quam nacta eſt deniq; ſortem
Quemq; locum nullo violatum more tuetur:
Et nihil in ſacros inquirit iuſta parentes.
Ceu fieri paſsim videas: vbi nulla minores
Aut vitæ ratio, aut patrum reuerentia vero
Continet officio. ſed ſicut inepta volatu
Pica vagatur, & omnibus vndiq; roſtra ſuſurris
Inijcit, ac ſtultè quæ ſunt ignota, moratur:
Sic hominum plerique, quibus nihil omnibus inſit
Humani; ſtultè circum ſua ſtulta feruntur,
Et captant ignota: aliquidq; vt diſcere poſsint,
Semper hiant: ſemper quærunt, ſemperq; deeſſe
Quod fari poſsint, quod poſsint ſcire queruntur.
Inſtabile & crudele genus; prauiq; boniq;
Ex æquo Iudex: cui nil ſatis eſſe; nec eſſe
Quicquam dulce poteſt. Secreta euoluere çertat,

Prodere

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 669 4° copy 2

Prodere commiſſa, & decretis ludere: verbo
Conſenſum præbere; ſed hunc re tollere; fictum
Moliri, & gelidas effundere in omnia ſannas.
Cui, niſi quod placuit, rectum eſt nihil. omnib. anſas
E rebus primas, & lucra ſequentia prendit.
Vtq; malo deſit cuneo nihil; acta bonorum
Rodit, & occulto violat rectiſsima dente.
Omnibus his cumulum ſceleratis morſibus addit,
Suſpiciones. heu quantum ſtudijq; nefandi
Actorumq; malorum, & atrocis in omnia dicti
Eſſe neceſſe ſiet; labem hanc vbi forſan erynnis
Mentibus aſperſit; qua vel ſuſpecta videri
Omnia recta velis: vel nil maioribus actum
Eſſe putes; quod non aliquà conuellere dicto
Aut culpare queas: dum quæque ignota boniſq;
Nunquam agitata, tuo fingis tamen acta cerebro,
Et quæ falſa ſient, conceptu vera figuras.
Hoc animi vitio nunquam paretur honeſtis
Legibus, & nuſquam vera eſt Concordia. ſemper
Inſidet ingenijs quiddam, quod acumine mentem
Diſtrahat, ac meritò quod ſaucia pectora turbet.
Aſt nihil hîc Noriberga luis. tibi militat orbi

Incum-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 669 4° copy 2

Incumbens cœlum. tibi Juppiter ipſe beati
Imperij cuſtos, fonsq́; ordinis omnis, & omnis
Cauſa & origo boni; tranquillam moribus Vrbem
Reddidit ingenuis: dum plebs, dumq́; ordo minorum
Ciuilesq́; ſtatus alij, nil prorſus honeſtis
Maiorum monitis parendi iura negarint;
Officijsq́; nihil, quæ ſunt mandata, recedant.
Vtq́; Magiſtratum colere ac reuererier omni
Plebs ſtudio ſatagit: ſic ſe complexa benigno
Promouet æqua modo; dum mutua commoda lucro
Inſerat, ac promptè communes auxerit artes.
Inclyta cuiq; adeò cura eſt, & ſancta voluntas
Conſuluiſſe alijs: ſeu rem, ſeu fortè requirant
Conſilium, aut fidas in honeſta negocia dextras.
Hic Ciues animus fraterna in fœdera ducit;
Conſenſuq́; ligans eadem cum velle videri
Atq; optare queant: tum ſanè id quiſq; ſequatur,
Conatuq́; velit, fidusq́; optauerit: omnes
Quod beet, ac æqua firmet communia lance.
Hac igitur felix Vrbs eſt Noriberga bonorum
Conditione: ſuo dum quiſq; incumbere certat
Officio, & vitæ metas nil tranſilit. inde

M

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 669 4° copy 2

Iura gubernandi patrius tenet ordo; ſed hinc ſe
Cætera parentem plebs & communio reddit.
Vtriſq; inſiſtit Candor; quòd vtroſq; bearit
Seruaritq; fides: quæ ſola his moribus vnit
Pectora; vt è ſolido conſtet Reſpublica nexu,
Et ſibi ſe firmet laudem & virtute ſequatur.
Quin Vrbi ſua ſunt clariſsima lumina: cum ſe
Ipſi etiam Ciues cultas amplectier artes
Mirariq; probant. vel cui res iſta libello
E tenui conſtare poteſt? ſua plurima fidis
Iam Bomgartneris ſuccreuit fama: vetuſta
Quæ quanquam è ſerie perlata eſt vſq;: tamen nunc
Virtutum radijs inclaruit amplior: vna
Cui fruſtrà obijciant inuiſas fata tenebras;
Nec premat immani tentatam Liuor Acantho.
Vſq; adeò hanc etenim doctrina & moribus Vrbem
Conſilijsq; iuuant: vt quantum in mœnia ſurgat
Quamq; diu patrios ſeruauerit inclyta Ciues:
Tantum etiam Bomgartneris fautoribus omne
Extulerit decus, & famam virtute ſequatur.
Hæc eſt officij merces: hæc præmia veræ
Laudis; & æternos inter pars firma triumphos.

Aut

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 669 4° copy 2

Aut quantum ſeſe iam Leffelholttica pandunt
Nomina? Ciuili quæ cum ſint cognita lucro
Multiplicant longæ non falſa encomia ſtirpi;
Et priſcæ haud dubios dant ſurgere gentis honores.
Vt nihil Imhofios, Halleros; nilue Tucheros
Orichiosq́; canam: quibus omnibus vna vetuſto
Maiorum à ductu, ratio eſt: vt publica latè
Commoda promoueant: quantumq́; attollere ſeſe
Officijsq́; fideq́; queunt: tantum Vrbis honores
Nitantur ſolidis inſcriptos legibus eſſe;
Magnaq́; non dubijs ſuboriri commoda neruis.
Vtq́; etiam rutilo ſplendeſcit Phœbus in axe;
Cum medio cœli peruoluitur orbe: profectò
Sic virtus obſcura quidem nequit eſſe. tenebras
Per medias vadit: totosq́; in lumina vultus
Promouet, ac recto quæ ſunt æqualia laudat.
Hocné igitur mirum eſt, ſedem ſibi Palladis artes
Excultosq́; viros & dedita pectora Muſis,
Delegiſſe loco? teſtantur multa recentis
Hiſtoriæ monumenta; quibus Noriberga diſertis
Vatibus; & numero præſtantum denique quanto
Exornata fuit: dum pace & legibus omnes

Inuitans nuſquam ſibi parcit ſumptibus, vt re
Ingenijs adſit, quæ creſcere ad optima cernit.
Aut ego quid memorẽ quos nunc habet illa beatis
Inſignes ſtudijs; Phœboq́ docente peritos
Artium, & Aonio cultos Helicone Poëtas?
Quid Legum expertos, & claros vbere iuris
Cognitione canam? qui qua vel laude, quibusúe
Vſibus hac ipſa celebres verſantur in Vrbe;
Conſtiterit; ſi cui Noribergæ prompta iuuandi
Eſt comperta manus: quæ prouidet omnibus omnes
Dum fouet, ac ſacris imbutos artibus ornat.
Hinc igitur multi egregij, multiq́ petuntur
Ornati magnis dicendi viribus: vt qui
Nunc alijs prodeſſe velint: nunc Vrbis honorem
Defenſare quidem orando, & ius dicere poßint,
Conſulti: quo ſe numero Reſpublica latè
In veros aliorum vſus ac commoda fundit.
Sanè equidem eximios Hòloandri Muſa labores
Et merita, haud reticenda putes. Fuit ille vetuſti
Et veri Iuris vindexq́ & portus, agendo
Qui nebulas operi magno diſcußit, eamq́
Reſtituit lucem diuinis Legibus: vt iam

Com-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 669 4° copy 2

Communi fructu & multorum laude legantur.
Quid Medicos; hominũ genus, at cœleſtib. auctũ
Inſtructumq́ opibus; rudibus comprendere chartis
Aut numerare velim? Studijs Reſpublica cunctis
Largiter impendit: quo clari euadere poßint
Qui certare velint, animosq́ laboribus addant,
Et curis: quibus aut morum præclara paretur
Temperies; vel doctrinæ ſua conſtet honeſtæ
Gloria, perpetuis quæ venerit æmula Muſis.
Vnum eſt in Medicis quod forſitan eſſe dolendum
Dixeris, è tantis nunc ſcindi motibus illos
Quos animis fratres, quos iunctos arte deceret
Communes huc ferre manus: vt tollier iſtud
Infelix poſſet morborum ſemen, in omnes
Quod latè populos, quod latè pullulat vrbes.
Multis aucta modis afflictio creſcit: & ipſis
Multiplici veniunt numero ſua triſtia morbis:
Dum non viſa prius ſe forma ingeſſerit orbi;
Vel nihil hæc etiam quæ ſunt conſueta moratur
Pharmaca: at inuicta violenta ex arce repugnat,
Multiplicatq́ luem & catapotia languida ridet.
Interea hunc hoſtem dum fert natura, genusq́

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 669 4° copy 2

Ex alio plerunq; aliud ceu parturit: illi
Mutua bella gerunt, odijsq́; feruntur, & acri
Decertant morſu, famamq́; aſpergere ſannis
Et fœdare ſtudent. Paracelſi cœca probarit
Quis placita? apperiat Doctrinam, & nuda tenebris
Dogmata ſemotis tradat ſpectanda. bonas ſi
Quas fortaßis habet veris res vſibus addat;
Et rerum veris exponat vocibus. aut quid
Commodi erit, ſi ſe deforment mutuò? ineptè
Et magnum hic damnant deteſtanturq́; Galenum:
Et reliquas tollunt artes, tum maxime; in vnum
Dum Chaos infundunt quas ipſa potentia claſſes,
Ipſa Deum virtus & mens æterna diremit.
Et minus iſta quidem ſunt rectè expenſa. quod ipſas
Ad rerum cauſas, formasq́; & originis omnem
Pertinet affluxum: nihil hîc decerno. labaſcunt
Principia illa quidem, quæ rerum vera putari
Principia eſſe decet: iam certi haud dixeris eſſe
Quicquam etiam. minor eſt hominum ſolertia, quàm
Naturæ leges æternaq́; vincula ſoluat. (quæ
Hæc ſua cum fuerint Paracelſo mira; negari
Commoditas tamen iſta nequit, quam plurimus igne

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 669 4° copy 2

Repperit exculto: dum multa examinat: ut quo
Conſiſtant vel iuncta gradu, vel ab ordine litem
Oſtendant, quantoq́ vices è limite ſpectent,
Cognoſcat. ſanè haud dubium eſt, quin iſta per ignem
Plurima monſtrarit ratio, quæ dixeris eſſe
Utilia. aſt non iccircò quæ recta fuiſſent
Tradita, conuellat: rerum aut primordia nullo
Confundat fructu. tamen hoc fortaſſe licebit
Teſtari, multa ſuperare hæc pharmaca laude,
Et ſuperare vſu: ſi quis tamen iſta ſequendo
Cognoſcat prius; & pòſt cognita, ritè parando
Miſceat, ac gradibus ſub conuenientibus arctet.
Interea certis accommodet vſibus: atque huc
Sollicitus ſpectet: ne ſpiritualia craſſis
Corporibus noceant, ſi forma exceſſerit: & non
Se gelidis vitam putet aſſeruiſſe venenis.
Nam quod ad ipſa quidē, quæ iam ſunt nota venena,
Attinet; vtcunque hæc deduxerit ignis; haberi
Semper acerba velis, ſemper ſuſpecta: tametſi
Neſcio blanditiem quam non oſtendere poſſint
Ceu flammis deuicta. Lupumne aſpexeris; vt ſe
In molles ſinuat, dum colla impacta cathenis

Verſat

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 669 4° copy 2

Verſat, & aucta metu ſibi contrahit ora; volucres
Et pandit gyros, lepidiſq́; aſpectibus omnes
Explicat in luſus vaſtiſſima guttura? quid ſi
Hic libertatem reparet tamen, inq́; profundas
Delatus ſyluas latè graſſetur: ouesné
Haud etiam attingat? vel, num natura cathenis
Sic domita eſt, vt non poterit redyſſe videri,
Dummodo & inuitet blandos occaſio rictus
Et procul amotis prædæ cenſoribus inſtet
Senſerit agniculus; qui ſi quem luſerit, inde
Iudicet. haud aliter vis eſt impacta Venenis
Penè à natura: cui ſic ſubſtantia virus
Intulit; vt citiùs naturam euerteris, hanc quàm
Tute facultatem & nocitura venena domando
Exſcindas penitus; remq́; in contraria vertas.
Id de illis dico, quæ primo à fonte venena
Pernitioſa ſient. Opium eſt fortaſſe venenum
Longè aliter quàm Mercurius: qui, qualiter ipſum
Cumq́; pares, ſemper naturæ eſt hoſtis. ab illo
Toxicon abſtuleris; iam vix ſubſtantia; vix res
Illius vlla manet. toti inſunt dira venena
Compoſito: ſed ſic, vt quantum fortè ſuperſit

Ex

Ex illo quicquam, tantùm inſidiatur: eoq́;
Quo reſtat varios poſt multi ponderis ignes;
Præcipuè nocet. at blandè tractabilis ipſo
Nil actu lædit? Lupus eſt. expectat: in imum
Demiſſus ventrem, nequeat cum vincier; inde
Experiere, an non ſpacijs adiutus atroci
Sæuiat, ac tacito celeret tibi funera morſu
Sed nihil iſta ſequor. res eſt Medicina, Deorum
Arbitrio humanas inter ſanctiſſima gentes:
Quam quiſquis violat; quiſquis corrumpit, in ipſos
Delinquit ſuperos, Solemq́; ex æthere tollit.
Vellem igitur neutros contemnere recta. Galeno
Pleraq; ſunt quæ vera probes: Paracelſus & ipſe
Forſitan attulerit quiddam; quod commodet. hîc tu
Diſquiras quæ recta putes; quæ congrua vitæ
Humanæ fuerint; quæ morbos aurea pellant,
Sed ſic, maiores ne viſcera in ipſa reducant:
Et quo firmarent vitæ primordia ſternant.
Nunc verò multis ſtudium eſt contendere. pauci
Submittunt animos Cenſuræ legibus. inde
Corporibus languor: regnis iniuria; vitæ
Pernities; rebus fraus; & ſuus extat in artem

N

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 669 4° copy 2

Contemptus. pereunt animorum fœdera; mentes
Diſiunctæ ſoluunt, quas vel Natura vel vſus
Arctaret neruos & mutua commoda ferret.
Nulli quod placidum eſt, gratum eſt. iniuria verbis
Plus quàm rebus ineſt. tum multa calumnia multas
Aggerat in flammas. Dij dent vt pellere morbos
Ritè queant Medici, rectumq́; ex arte ſequantur.
Nec tamen his tantùm ſacras profitentibus artes
Inclyta conſuluit Reſpublica. maximus illis
Hìc etiam vſus, & haud certè ſpernanda laborum
Eſt merces: quæ forte manu accedente per omnes
Tenduntur numeros, formamq́; operãdo capeſſunt:
Et veniunt facili grata in certamina dextra.
Ergo quis Artifices, operumq́; ingentia laudet
Incrementa ſatis? conſtant iam certa metallis
Pondera; quæ formis cedunt, quaſcunq́; vocentur
In partes; capiuntq́; agili noua nomina ferro
Malleolisq́; agitata ſuis: vbi lamina pulſu
Tenditur, ac calido pariter molleſcit ab igne.
Quanta hîc ô ſuperi Maieſtas? quanta laborum
Eximijq́; operis ratio eſt: vbi plurimus æri
Argentoq́; vſus: rutulumq́; inuectus in aurum

Creſcit honos; niueoq́ venit ſua gloria Stanno?
Aut Horologijs, hîc quæ miranda parantur
Organa; quis iuſtam cumulato carmine laudem
Addiderit? credo his fieri nil pulcrius: aut quod
Maiori quiſquam dignari nomine poßit.
Tantum artis, tantum eſt induſtriæ & ordinis acres
Cum digeſta rotas & pondera machina voluit.
Quid Pateras; gratosq́ cyphos, auratáue dicam
Pocula? quæ torno veluti perfecta ſecundo
Artificum ſtudio veniunt perſæpè ſub vſus
Humanos, ſacrosq́ ferunt latè Vrbis honores.
Quin doctæ Noriberga operum ſtudioſa Mineruæ
Nec lycijs, nec acu celebres augere moratur
Diuitias. lanæ pretium linoq́ paratur
Et vario ſeſe dilatant ſtamina fructu.
Sed nihil iſta putes; ſi quæ maiora tueri
Et cantare libet. Pictura eſt deniq́ veram
Quæ poterit laudem, & verum decus arte mereri.
Omnibus vna quidem, grauiter quam verſib. ornet
Diuini vates, nomenq́ coloribus & rem
Concilient: humili ne quid fortaſſe putetur
Digna loco; magnos inter dum culta Monarchas

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 669 4° copy 2

Verſari, & rebus lucem dare ſedula poſsit.
Aut quid picturam niſi viuam tute Poëſin
Dixeris eſſe? vbi quæ comprendere facta notando
Scribendoq; queas, diuina pictor ab arte
Digerit in numeros, formamq; ſequentibus infert,
Atq; oculis ſpectanda locat: quo maius honeſto
Vix fieri ingenio, aut traduci in lumina poſsit.
Sanè ego Dureri quoties vel ſpecto Melancho-
liam; vel quod quis Dureri haud eſſe negarit,
Contemplor: non me priſcæ leuis aurula famæ:
Sed magni motus animorum, & pectoris ingens
Abſtulerit calor; vt mirari ea corpora, latè
Et celebrare velim, nuſquam ſatiantur ocelli
Intuitu: nuſquam ceſſat fugientia ſenſus
Prendere, & exiles in apertum euoluere ductus.
Vſq; adeò harmonicis proportio debita membris
Eminet, ac gratos ſpectanti commodat artus.
Hunc igitur Noriberga virum dum fouit, honori
Conſuluit; totum qui nunc ampliſsimus orbem
Occupat, ac patriam decus hoc reuocarit in vrbem.
Quin neq; ſola quidem pingendi induſtria clarum
Reddidit Albertum: Theôremata certa libellis

Intulit

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 669 4° copy 2

Jntulit; ac quo ſe proferrent grammata ductu,
Quoq; modo; qua menſura, quoue ordine: tum quæ
Lege Geometricis conſtarent corpora formis
Edocuit; monſtratq; adeò quibus artubus, & cui
Conueniant manifeſta loco: quæ valle locanda
Sint quædam, vt oculis veluti ſubducta recedant.
Quæ curuo, quæue obliquo, quæ deniq; recto
Tranſuerſoue ſitu tendantur. vbi integer auras
Muſculus opplerit: quibus ille deinde lacunis (bris,
Tanquã abſorptus, & inductis langueſcat ab vm-
Et nuſquam carnes, ſed membra exanguia pandat.
Hæc ſunt ingenio & dextra perfecta ſagacis
Dureri: quo ſe Reſpublica iactet alumno
Et Ciue: egregio docuit qui primus ab vſu
Pingere, & antiquos reuocare in membra colores.
Poſt hunc multi etiam picturæ incumbere; prorſus
Eximij artifices: quibus haud aduerſa feruntur
Numina, nec vilis redit in compendia quæſtus.
Jpſe equidem multis oculos patefecit; vt artem
Aſpicerent: artiſq; decus, iutiſſima ſcirent
Præmia, & aönijs partem eſſe hæc lumina Muſis.
Extemploq; manum tabulis immittere; primum

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 669 4° copy 2

In Latio quidam; mox Belgæ: deinde per Vrbes
Has etiam latè pingendi induſtria creuit;
Atq; arti ſeſe auxit honos. Durerus & acrem
Permouit Lucam; quem tu Diuine Melanthon
Ante quidem multis pictorem ferre ſolebas,
Et ſummum celebrare virum: cui, quicquid ab vſu,
Quicquid ab Jngenio & præclare legibus artis
Acceßiſſe queat; felici ſorte putares
Donatum, & numeris veniſſe ad pegmata iuſtis.
Hic cum Leucorea viuebat Ciuis in vrbe,
Funeſtum vidit bellorm fulmen: acerbo
Quo ſanè afflata eſt magno Germania luctu;
Et gerit Heſperijs obnoxia tergora virgis.
Valde autem Cæſar Lucam dilexit: eoq;
Victoris flectente animos Captiuus haberi
Paulò etiam melius iam Prinoeps cepit. honeſtū eſt
Iræ etiam moderari illum, cui vincere cœlum
Et fortuna dabat. Sed & hæc Fiducia Lucæ
Profuit, ac grato cumulabat nomen honore.
Illius ergo manus nota eſt, dum ſedulus artem
Pingendo excoluit: varios dum ritè colores
Temperat, ac formis vitales inſerit artus.

Huic Gnatus parili veſtigia ſublegit auſu,
Ingenio ſolers, & honeſta prouidus arte:
Cuiq́; etiam felix inuentio, multa figurat
Multa nouis addit referenda in lucra tabellis.
Vidimus ipſi etiam fontis quo Nympha ſacrati
Pegmate dormiret: Perdix vbi ſtridula pennas
Non iam mentitas; ſed veras penè videndo
Oſtentat; magni tum Lucæ opus: æmula quanquam
Multa manus ductos imitetur ſæpè colores,
Et quæ aliena ſient, feciſſe domeſtica tentet.
Aut quid Virgilium memorē, Reſpublica quo nunc
Vtitur exculto pictore? ille omnibus inſtat
Articulis, ſummæ ne deſit languidus arti
Quam didicit. ſedenim cum pingat multa venuſtè
Corpora; tum graphicè quæ ſunt perfecta metallis
Imprimit, ac varijs ornat coeuntia limbis.
Sed quid ego hæc? ſuperent Galli licet atq; ſalaces
Belgarum populi: cunctos tamen vnica vincit
Italia, antiquo picturæ nobilis vſu:
Ingenijs felix, infelix moribus; arte
Artificumq́; manu, ac monumentis clara vetuſtis.
Cui fortaſſè recens cumulabat grata Michaël

Nomina

Nomina, & in noſtrum ſe promouet Angelus orbẽ:
Quod referant alij. Noribergaeſt vnica cunctis
Æqua bonis: quæq; hoſpitij nil iura negarit
His; qui Ciuili pro Libertate bonoq;
Communi doctaſúe manus, firmoſúe lacertos
Exerere, ac operum veris ſplendoribus Vrbem
Exornare ſtudent. alijs placuiſſe videri
Sæpè aliud poſsit. quæ publica commoda dicas,
Nuſquam maiori curantur laude. ſalutem
Vrbibus eſſe putes, ſi ſint ſine fraudibus Vrbes:
Communemq; nihil Craterem cymbia tollant.
Cætera pars, terramúe colunt; ſegetiq; parandæ
Inuigilant; aut ſemotis commertia terris
Exercent; merceſq; vehunt; quibus inclyta latè
Regnat, & ingentes ſtatuit Reſpublica quæſtus.
Intereaformam ſi quis conſideret Vrbis,
Excelſaſq; domos, cultiq; palatia muri,
Æquatuſq; ædes radijs ſaxoq; polito;
Ardua miretur tectorum culmina, pulcras
Magnificaſq; operum ſtructuras: qualia paucis
Quis monumenta locis ſpectare aut fingere poſsit.
Mundicies inſignis ineſt: ſeu fortè plateas,

Seu

Seu ſolers rimere domos. interluit amnis
Pegnitius: varijs geminam qui pontibus Vrbem
Iungit: & hoc faciles nexu dat vtrinque meatus:
Longior vt nuſquam impediat commercia rerum
Circuitus: dum vel rarò ſe accedere poſſent
Ciues; vel nuſquam ſe adeant, & mutua viſent
Limina, fraterno neq; ſe pro more frequentent.
Vtq; etiam ſua ſint ſecuris otia, muros
Antiquæ poſuit ſolertia gentis: honeſtæ
Gentis opus. quod qua ſoboles ratione tuetur,
Conſtiterit: ſi quis vel geſta recentia ſpectet,
Vel qui maiorum fuerit ſucceſſus, honoret.
Mœnia ſic forti ſunt vincta rigentia ſaxo;
Vt nihil hoſtiles (ni ſit manifeſta Deorum
Ira, & fatales inducant ſidera caſus)
Permetuant quoſcunq; auſus. Reſpublica facto
Ac monitis; quod conſilijs ſapientibus, & re
Auerti poterit; ne quid fortaſſè malorum
Aut grauis euentus vſquam ſe infundere poſſit;
Auertit certè. at pietas dat maxima cunctis
Ornamenta: vni populus cui ſeruit; & huic ſe
Diſciplina æquis comitem rationibus addit,

Hæ muros cauſæ tutosq́; ac fortia reddunt
Mœnia. qua Diuûm præit aurea cura, ſequetur
Proſperitas. Superis rem fortunantibus omnem
In portu claſſem, ſubductaq́; tranſtra putabis.
At circum muros foſsisq́; ingentibus errant
Viuaces Cerui: quos cum Reſpublica magnis
Inclyta delitijs, vt ſint ſpectacula, nutrit:
Nec telis violari vllis, neq; vulnere ſterni
Permittit. Fluuio qui perluit oppida, diues
Vtilitas petitur. Nec tantùm fluctibus actas
Demirere molas, quæ pars eſt magna; quibusq́;
Commoda certa graui Noriberga ampliſsima lucro
Stipat, & haud tenues infert in ſcrinia cenſus.
Verùm multò etiam magis, haud ſentire loquentes,
Et ſurdas plerunq; aures in dicta iocosúe
Vertere, & obſtruſo mandata capeſcere ſenſu
Omnes: malleolo qui maſſas fortè ſequenti
Subijciunt; interq́; incudum verbera ferrum
Expoliunt; ærisúe globos ſub forcipe verſant.
Nutibus inſiſtunt operæ. his labor omnis, & omnis
Mandati ratio penè eſt æquata. ſequuntur
Aut oculos digitosúe tuos, aut dicta figurant

E labijs motuq́; oris: quo lumina cautè
Inferre, & tacitam ſatagunt apprendere mentem.
Tum ſegetes circum creſcunt; primaq́; ſiligo
Exiſtit bonitate: cui, quod Semen arenis
Creditur, è tenui ſed puro turgida culmo
Copia ſuccedit, latasq́; exæquat ariſtas.
At dulci minor hîc Baccho eſt prouentus. habendo
Hunc reliquis ſtipat Franconia partibus. Hortos
Interea Noriberga colit: quos omnibus auctos
Delitijs habet: arboreos ſeu vellere fructus,
Seu libet herbarum floresq́; comasq́; genusq́;
Carpere; & aëreos ſub naribus abdere odores.
Hæc Vrbi multò pars eſt gratiſſima: ceu qua
Æſtiuis etiam plerunq; caloribus vmbras
Nobilitas petit, ac viridi ſub fronde moratur
Inſiſtens: operasq́; iuuat, curasq́; reſoluit,
Et renouat blando ſibi gaudia plurima luſu.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 669 4° copy 2

C. ERASMI MICHAELII LAETI,

NORIBERGICORUM

LIBER QVARTVS.

VLtima res & prima; ſacris dicẽda Poëtis
Fœminei reſtant cœtus: pulcerrima Muſis
Materies; ſi quem vel Phœbus Apollo, vel alti
Jngenij vigor hæc tanta in certamina firmet:
Ut nihil ob prauas minuat præconia rectis.
Nos equidem tenui ſequimur cum maxima verſu,
Deficimus mores certè caſtosq́; pudicosq́;,
Et quæ ſit veteri perculta modeſtia Franco,
Laudamus. Sancti ſunt hæc præconia mundi:
Digna Dijs, quos maiorum reuerentia ſacros
Indigetesq́; ſuis ſibi legibus eſſe iubebat:
Dum mores pietate regunt, & moribus Urbes.
Eia age quis tantos Heroas, & acta vetuſtæ

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 669 4° copy 2

Gentis honeſta canet? grauitasq́ fidesq́ per iſtos
Seruata eſt populos: quantumq́ antiqua tueris,
Simplicibus tantùm conſtabant moribus. vſum
Non ex delitijs, ſed ex virtute petebant
Signabantq́ ſimul. quod erat ſatis, eſſe ſinebant
Naturæ ſatis. hæc rebus moderatio lucem
Attulit, ac gratos æuo dedit iræ labores.
Cætera ceu peſtem, miſeræq́ ſuperflua vitæ:
Atq́ animis aduerſa pijs, inimica decoris
Moribus, ac nulli conformia prorſus honeſto;
Sunt auerſati. Virtus moderatur agendi
Arbitrium. Faſtus vitæq́ ſuperbia longè
Pulſa abeunt. Rectos ſtatuebant ſecula mores
Iſta priora: nihilq́ animis diſſentit honeſtis.
Heu priſcam ſanctamq́ fidem. iam militat orbi
Stulticia; et varios infert contentio luctus.
Scilicet ira Deum, & ſuperi inclementia cœli
Inferniq́ minæ, & furiarum flagra luesq́
Tartareæ; & multùm vitijs onerata malignis
In noſtros effuſa dies Sentina, procaci
Imperio regnat: paßimq́ in vincula gentes
Mittit, & iniectis animo dominatur habenis,

Aut quæ prima quæri; damnareúe turpia poſſis?
Quæúe inſectari? culpare? exorbitat orbis
Totus; & in nullo ſua ſunt veſtigia greſſu.
Aut quid? an Ebrietas? ſedenim nihil iſta putabis
Eſſe mouenda. hulcus ne tangas Muſa fluente
Iam fœdum ſanie. cedas magnatibus; vt qui
Quod viuant, potent: quod potent, viuere ducant.
Quamuis haud ſolis res iſta potentibus; vna
Vna nocet cunctis hominum; qui pocla cyphosq́;
Pernitiem vitæ & carcheſia blanda ſequuntur.
Sobria iam paucis cum Mens, tum corpora paucis
Sobria perdurant: cunctis erratur; agitq́;
Huc plerunq; animos ſcelerata licentia, gratum
Vt nihil eſſe putent: niſi quod blandiſſima Bacchi
Munera commendent, Bromyq́; frequentia laudet.
Ergo dexteritas & agendi ſedula multis
Cura deeſt. Fiunt haud recto plurima ductu,
Et transuerſa ruunt. Solis ea crimina Perſis
Iam nihil obijcias. etiam qui cætera rident,
Hîc ſe ridendos; hîc ſe præbere viciſſim
Immundosûe ſues, ingrataúe corpora cernis:
In quibus humani remanet nihil. Ora moleſtos

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 669 4° copy 2

Eructant halitus: ſubſidunt lumina: latè
Inuadit ſcabies: manibus tremor inſtat: inanem
Arentemq́ cutem mananti puſtula tabo
Occupat, ac gelidos ſubdit ſe pallor in artus.
Quidúe loquelæ etiam formam depinxero? Coruos
Eſſe putes, homines quos forſitan ante putabas.
Sic crocitando aliquid ſtrident: ſic verba ſonosq́
Exagitant: fœdos ſtillanti è gutture rictus
Detorquent: animis ſpoliati diſpare iungunt
Expediunda gradu; nec ſe comprendere poſſunt.
His igitur ſtudijs ſubuertitur omnis honeſti
Religio. Diſciplinam rapiuntq́ feruntq́
Stulticiæ. nihil ingenui manet amplius: auo
Iam ſua pernities cumulat ſub funera luctus.
Hac plerunq́ calens ſeſe mercede Lyæus
Venditat, ac iuſta compenſat turpia lance.
Quos ergo Ebrietas, illa vnica Lerna malorum,
Serpentes vitæ aut monſtroſi iurgia mundi
Intulerit; ſi quis taceat, res ipſa loquetur;
Et medio ſtatuet cunctis ſpectanda theatro:
Quò referant oculos; ſi qui vel diſcere, largè
Vel plorare velint. tamen hæc quoq́ parua putabis

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 669 4° copy 2

Si reliquis collata legas. Quid veſtibus inde
A priſcis hominum ſeclis acceſſerit? vt ſe
Fontibus extrudunt fluuij; lateq́ meando
Incrementa petunt, cumulantq́ in littora lymphas:
Sic vitijs ſubnata, alijs noua crimina valdè
Creſcunt, atq́ vſu capiunt ſua robora; vires
Multiplicant; partoq́ nihil de iure remittunt.
Et tamen haud alio proſtant magis ordine; quàm quo
Veſtimenta loces. Dij quid vel turpis in illis
Flagitij eſt: vel quàm non grata licentia? formas
Extrudunt formæ; variantq́ ſequentia primas,
Maiorumq́ habitus ſordere nepotibus audis.
Hæc eſt ſtulticiæ effigies, quæ gentibus hiſce
Atq́ iſtis propria eſt, totum ſic ſparſa per orbem
Vt ſuſpecta bonis ſit tanta licentia: ne vel
Hæc inconſtantis ratio ſit pectoris index:
Vel non ſe Plutus cumulata verſet in arca.
Plerunque accidere; vt minus his ſit in ære, quibus
In veſtimentis inſumitur. annè ſubinde (plus
Hic exhauriri vel rura ingentia cernis:
Vel tolli, quicquid conflari in pignora poſſit
Elatis? cum quod grandi fuit ære coëmptum,

Abijcias:

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 669 4° copy 2

Abiicias: varieſq́;, nouo quod protinus vſu
Damnes; ac alio temerè mutabis, eoq́;
Non etiam multa fortaſsis luce fruaris?
Hic color; hic precium, hic formarum plurima tete
Cura premit. nuſquam præſentibus omnia rerum
Deferimus momenta: aliis aliud placet, vnde nouan-
Arbitrium & patrios culpandi creſcit amictus. (di
Nunc tibi Parthenopes Latiiq́; haud improba regni
Conſuetudo placet: num tete Hiſpania, nunc te
Celtarum mores; nunc te Germania cultu
Delectat. Quin Albionas delatus in vrbes
Inuenies fortaſſè aliquid quod veſtibus addas,
Corrumpasúe tuis. Poſuit iam Dania priſcos
Maiorum ritus; poſuitq́; Polonia, vel iam
Nutat: & Vngaricis ſua ſunt contagia regnis.
Hæc eſt Europæ non tantùm ſumma; ſed ipſo
E facto, eq́; etiam populorum eſt more procaci
Inuidioſa lues: Herebo quam fata marito
Extulit in lucem furiarum maxima; cum iam
Languida nequicquam meliora inducere mundo
Tentaret Virtus, morumq́; euerſa periret
Simplicitas: animisq́; nihil niſi triſte liberet,

Auctior ex illo ſuccreuit tempore noſtrum
Quæ peſtis grauibus corrupit legibus orbem.
Et toto nihil eſt iam ſani in corpore. iam ſe
Mutua vulneribus perimunt noua vulnera. longis
Succedunt breuia; anguſtis latiſsima; ſtrictis
Laxa; Colore etiam multum diuerſa; reuinctis
Fuſa; togas tunicæ; tunicas toga pellit: habentq;
Jntegra quà ſciſsis, quà integris ſciſſa minentur.
Quid limbos, quid Mæandros? variatio latè
Ambit, & in medias infert ſe fimbria veſtes.
Deniq; quis Conchylio adaucta metalla, quis auro
Intextam lanam, varietaúe ſtamina narret? (bis
Nec modus in numero eſt, & ineſt tamẽ æqua ſuper-
Pœna malis. quid enim? vario ſudore parari
Iſta vides; longisq; adeò corradier oris
Quæ procul in noſtrum mittant noua toxica mundũ.
At quibus interea precio eſt? an fortè ſuperbis
Regibus? an ſolis hæc ornamenta Tyrannis
Eſſe dicata putes? olim Romana iuuentus
Purpureis nihil vſa togis conceſsit ab iſto
Principibus cultu. num veſtibus inclyta noſtris
Materies ſolis aptata potentibus huc ſe

Jntu-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 669 4° copy 2

Jntulit; vt ſacros decoret confecta Monarchas?
Et nil mancipijs, nil vili maxima ſeruo
Ornamenta ſient, fœdisue oppercula Scortis?
Scilicet hæc merces Regum eſt ignauiæ, & amplum
Stulticiæ præcium, cum quod Magnatibus eſſe
Donatum Superi, & conceſſum Numina vellent:
Transferri in lixas, fureſq; ac Scorta videbunt
Nunc etiam: penſiq; nihil ceu ducier, hos quo
Quiſq; greges inter dominos ſpectarit amictu.
Hinc ſua mancipio eſt ita parta licentia, diti
Auguſtos habitu & pretioſa veſte Monarchas
Vt ſuperet; Lycijſq; auroq; intexta ferendo
Oſtentet, claraq; nates bombyce moretur.
Huc ſua detulerint depexis mollia Seres
Fila comis. hæc eſt operis reuerentia, cuius
Principio ſacer vſus erat: cum multa Deorum
Pompaſas meritò caperent altaria veſtes:
Blandaq; diuinos incingeret infula Myſtas.
Prima Sacerdotum fuerat vel cura vel vſus:
Inde eſt in Reges delata hæc forma; diuq;
Jn precio tutela fuit. Poſſeſsio Magnos
Hæc vetus ornabat; quos tum ceu magna ſolebat

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 669 4° copy 2

Numina mirari formamq́; ſtupeſcere vulgus:
Hinc vbi per Satrapas inducta licentia quiduis
Audendi, & latè facta eſt ſciſſura; ruebat
Simplicitas; ceßitq́; loco reuerentia: ne quis
Quæ Regum fortaſſe ſient, iam regibus eſſe
Juſta velit. Scelerum quapropter ſæpè miniſtros
Et turpes vitæ laruas, ventriq́; dicata
Pondera terrarum, nebulones, alcinoosq́;
Et quib. haud penſi quicquam eſt; quo iure modoue
Sortiri ductus, aut ſortes ducere poßint:
Splendidius veſtiri etiam fortaſſe videres; (nos:
Quàm claros, parent quibus inclyta regna, Tyran-
Hæc multos agitat cum fortè querela; neceſſe eſt
Culpari luxum: fines reuocarier, intra
Quos pudor, & rerum conſtare licentia poßit.
Quæ diſciplinæ ſi non pars efferat omnes
Huc numeros aliquando, nihil cenſebitur vltra,
Quod quis Virtutem, quod quis celebrarit honeſtũ.
Vſq; adeò vitæ mores; & moribus anni
Præſcribent; ſemperq́; aderint quæ turpia damnes.
Aſt plorare quidem; ſed non ea vulnera multi
Reddere ſana queant, hæc Regum cura fuiſſet

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 669 4° copy 2

Inijcio. ſedenim patefacta eſt ianua ſtultæ
Ætati, paſsimq́; ruit, cum informia paſsim
Sectando, nuſquam virtutibus æqua vagetur;
Et quodcunq; lubet, ſibi poſſe licere putarit.
Nec tamen iſtud eò quiſquam fortaſſe referri
Senſerit: vt ſi quid poterit decuiſſe Statusúe
Fortunasúe virûm, culpandum dixerim. in illud
Collimet potiùs dicti cenſura; probari
Æqua æquis: minus at quæ conuenientia ducas,
Hæc reprendi etiam, Muſisq́; aduerſa notari.
Vt diuerſa quidem Statuum ſunt iura: nec vno
Omnibus eſt ſors aucta gradu: ſic diſpare fas ſit
Cultu vti: cum ſtulticia eſt ſe attollere ſupra
Fortunæ vires: habituq́; oſtendere magni
Neſcio quid; cùm ſis rebusúe aut ordine longè
Inferior. Quanta eſt Regum moderatio? Quintum
Carolum an ignoras? quo nullus Cæſare maior
Penè etiam vixit; quantum tria ſecula magnos
Complecti, aut numeris includere maxima poſsint.
Hoc quid ſimplius tamen omni corporis vſu
Et cultus ratione fuit? non ampla cathenis
Congeries: non gemmarum oſtentatio, rerum

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 669 4° copy 2

Explicet anfractus; lucemúe induxerit orbi.
Aſt ſolers animi prudentia; nobilis altæ
Virtutis ſplendor: cunctis benè velle laborq́;
Propoſitumq́: atq; hæc quæ ſunt manifeſta ſuisq́;
Digna malis, nullo defendere crimina motu:
Priuatoq́; nihil Leges deſcribere fructu:
Hæc ſunt quæ nomen pariant illuſtre; tuisq́;
Addiderint gradibus cultum: licet omnibus auro
Non niteas tunicis; rigeat nec Chlæna metallis.
Simplicitas ſit grata viris primoribus: & ſit
Grata alijs etiam. tamen haud ſis ſordidus. & cum
Officio præſtas, quo preſtes nomine; veſte
Nil deturpari commiſſa hæc munera velles.
Quod ſi qua fieret ratione; haud eſſe profectò
Te magnis dignum, te dignum hac ſorte putarem.
Id ſpecto, vt veſtis ſit congrua, ſitq́; modeſtis
Concinnata modis: vt quæ deceatq́; feratq́;
Ex ſeſe laudem iuſtosq́; oſtendat amictus:
Et nihil impenſis fortunæ culmina vincat.
    Interea quantum ſupereſt vel laudis auitæ,
Vel priſcæ virtutis (erit cenſura bonorum:)
Id ſtudijs Noriberga colit; vel ritè colentes

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 669 4° copy 2

Ornat, & haud vili penſat pia facta bilance.
Maxima Matronis ſed ineſt ſua gloria: quæ cum
Ingenua mores habitusq́ è lege gubernent;
Simplicibus gratam reddunt iam veſtibus Vrbem;
Hoc laudatæ etiam: charis quòd ſponte maritis
Cum parere velint; tum nuſquam iuſſa retractant:
Sed bonitate viros; cœlum pietate, bonorum
Applauſus hominum vera è virtute merentur.
Heu paucas animi ſtudijs ac moribus æui
Iudicioq́ pares. ratio eſt diuerſa per omnes
Pene etiam populos cœcumq́ ita ſparſa per orbem:
Vt iam multa quidem officij metasq́ locumq́
Fœmina tranſiliat: nuſquamq́ quieſcere certet;
Dum miſeros ſubigat ſtrepituúe manuúe maritos,
Aut placidos turbet; pacemq́ in iurgia mittat.
Nec tamen iccirco rectasq́ bonasq́ decebit
Culpari. Virtus quocunq́ ex ordine ſeſe
Proferat, ac grato ſpectandam commodet vſu:
Laudetur ſane, & rerum in faſtigia ſcandat.
Tum ſit quiſq́ ſua contentus ſorte: nihilq́
Stulticiæ precium ſupero incuſabit olympo.
Coniuge nil placida melius; nil maius honeſta

Et

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 669 4° copy 2

Et Sapiente: Deo quæ vel curante, vel ipſam
Adducente venit. cœleſte eſt munus, eiq́;
Deſuper aßiſtens Benedictio militat: vt quæ
Sola viro curas minuat, domuiq́; ſalutem
Diſpenſet, multisq́; animos in fœdera vertat.
Illa equidem fato faber eſt, ſobolemq́; parenti
Sufficit, ac nomen parat immortale Marito.
Id fieri perſæpè, viros in verba proteruos
Apparere: ſed hanc rugatæ frontis & iræ
Ceu tempeſtatem coniunx blandißima tollet
Compeſcens, motusq́; animorum & dicta ſerenans.
Sed quid ego hæc? genio Noriberga eſt vſa ſecundo
Feliciq́;: quòd vxores gratasq́; pudicasq́;
Et nil ſectantes luxum ſit adepta; quibus iam
Eſt partus Virtutis honos; lateq́; beatum
Splendet & haud dubio cumulatur nomen honore.
Quid memorem quali ſobolem ratione parentes
Inſtituunt? Latis quo publica legibus arcent
Crimina, quæ turpi nonnunquam more iuuentam
Frangere, & in lapſus animos inducere poſſent?
Scilicet hæc vera eſt pietas. Miſerisq́; inopiq́;
Mox etiam turbæ conſultum eſt ampliter. Vrbem

Hæc

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 669 4° copy 2

Hæc equidem Virtus latè inter ſidera tollit.
Vnum eſt, quo ſibi ſe Reſpublica clauſerit: vnum
Quod vel mirari; vel cunctos dicere iusq́;
Et fas eſſe putes. Armamentaria quis non
Miretur? quis non hæc inſtructiſsima laudet?
Æternisq́; adeò non verſibus inferat Vrbem?
Cætera præteream. gemino Reſpublica fulcro
Nititur, & duplices tutelæ creſcit ob vſus.
Dextera Virtuti pars eſt. huic ritè ſecunda,
Militiæ ratio ſubit, & pia gloria belli.
Quæ facias, virtus monſtrauerit inclyta: verùm
Euentu vt læto facias decreta, requiri
Arma putes: quæ virtuti ſua robora, vires
Conatusq́; adeò, & rerum fulcimina firment.
Qui virtute quidem bellum fortaſſe relicta
Mouerit: Icarijs ille obuia ſidera pennis
Captat, & infirmo ſectatur grandia paſſu.
Qui nudas in bella manus, & corpora nuda
Obijciat; quanquam conetur magna, labaſcit
Is tamen, & nullo tentauerit ardua fructu.
Siue igitur bellum ſuadendo inducere certes,
Siue vrgenda manu, quæ ſunt perſuaſa putabis:

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 669 4° copy 2

Arma paranda ſcias. quo venerit obuius hoſti
Præſidio inſtructus, qui Libertatis & Vrbis
Aut decus, aut muros, aut otia grata tueri
Et proferre velit. Tibi largior, eſſe Deorum
Tutelam. ſed enim cauſis pia fata ſecundis
Hoc addunt; vanam iuſtis ſine viribus iram
Eſſe: nec vt temerè cepiſti, ita fortiter omnes
Expleris belli numeros; niſi bellica fortem
Quacunq; accedas tete armatura ſequatur.
Hanc ergo â primis Noriberga ampliſsima rerum
Inijcijs curam, tum parto adiecit honori;
Vt nihil hîc deſit, quo vim reppellere poſsis;
Quacunq; inſurgat patriamúe exiſtat in Vrbem.
Ergo quis immanem Colubrum; rigidosq; feroſq;
Serpentes: vel quis Phalariſcos tela vomentes
Ignea, Bombardas; Scolopendros; Oxia, Varos
Commemoret? plenis locus auctior iſte Chimæris
Luxuriat; nulliſq; vacat, quia ſemper abundat.
Quin nihil aſpectu iucundius; altius vſu,
Nec precio maius Reſpublica tanta ſuperbas
Inter opes numerat. Theſaurum bellica præſtat
Machina; non gemmis, non Crœſi Principis vna

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 669 4° copy 2

Diuitijs, rutulo non poſtponenda metallo.
Hoſtibus iſte metum incutiet: ſed Ciuibus idem
Securos reddet vitæ in compendia muros.
Hæc ſunt bellorum tanquam inſtrumenta: ſed illis
Quæ vtuntur, longè fortiſſima pectora dicas,
Audaceſq; animos; ſed cum ratione: quibus nil
Præſidij è muris; ſed ex virtute petendum ast
Ducitur; & certis inſcripta eſt gloria pugnis.
Non etenim ſe obſideri, non cingier Vrbe includi
Gens inuicta ſinit: ſed nullis territa compos
Occupat, ac hoſti manifeſto ex enſe minatur;
Cum progreſſa manus ſtudioſo conſerit auſu
Feliceſq; infert aduerſa in robora dextras.
Salue magnificis Vrbs culta laboribus, & re
Optata felix: ſtudijs iam diues honeſtis
Ingenijq; bono: qua non præſtantior vlla
Altera Germanas inter caput extulit Vrbes;
Aut magis è tenui deduxit origine tantos
Fortunæue gradus, firmiúe palatia regni.
Scilicet hic veræ cumulus virtutis, & æqui
Officij eſt, primis non tantùm inducere ceptis
Manſuræ laudis titulos: verùm ardua factis

Quæ promiſſa ſient æquare ingentibus: vt quod
Propoſito ceptum eſt, dubio non fine ſequatur.
Hæc eſt ætherei Benedictio certa parentis:
Qui quæ magna iubet ſuboririer acta, fouendo
Promouet: ac humiles inter ſterilesq́ myricas;
Interdum Cedros, interdum maxima Quercus
Robora, & ingentes ſuccreſcere præcipit Ornos.
Dij tibi dent claros inter Noriberga labores
Æternum ſpectare decus. tibi dextra ſecundent
Numina prouentus: quantumq́ ad maxima ſemper
Tendis, & inducto ſtatuis tibi commoda lucro:
Tantum florenti ſtudeas placuiſſe Mineruæ
Et vates ornare tuos: qui palladis artes
Sectati, cultas inducunt verſibus Vrbes,
Teq́ adeò æterna celebratam laude coronant.
Vtq́ tibi noſtras etiam moueatur in Arctos
Gloria; & hoc habeas clarum quoq́ nomen in orbe;
Quo virtus, celſæq́ adeò Conſtantia mentis
Floreſcat meritis populorum vocibus: hanc nos
Intulimus ſtudijs operam: calamumq́ ſecuti
Et famam, molli diduximus omnia verſu;
Quæ poterant noſtris comprendi grata Camœnis.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 669 4° copy 2

Id ſi quid placeat; ceu poſſe placere, labori
Propoſitoq; fuit: fructus fortaſsis adepta
Muſa eſt noſtra ſuos. Euentum fata gubernent:
Et foueat diues Lætum Noriberga Poëtam.

FINIS.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 669 4° copy 2

FRANCOFORTI
APVD HAEREDES
CHRISTIANI EGENOLPHI,
EXPENSIS D. ADAMI LONICERI,
M. Iohannis Cnipij Andronici, & Pauli Stein-
mayers. Anno reparatæ Salutis
humanæ

M. D. LXXIIII.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 669 4° copy 2

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 669 4° copy 2